This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



6000101371

30.1832
302.

C. CORNELII TACITI

Dialogus

De Oratoribus

ab Imman. Bekkero ad codicem Farnesianum recognitus.

Mutata quorundam locorum lectione additaque et his et ceteris omnibus, qui etiam post Bekkeri operam nondum ad liquidum perducti videri possunt, lectionum diversitate et adnotatione critica, scholarum maxime in usum

edidit

Guilielmus Boetticher

Philos. Doctor, Gymnasii quod Berolini libris Friderico-Guilielmini Professor.

BEROLINI,
sumptibus T. Trautweinii.
MDCCCXXXII.

302.

nae editionis censuram ederem, diligentissime hanc libri recensionem cum Bekkeriana et cum ceterarum etiam magna parte conferrem, haud ingratum me munus Taciti amicis allaturum esse sperabam, si ea, quae hoc modo invenissem, in communem usum converterem, simul parabiliorem redditurus Bekkeri cum ceteris libris Taciteis conjunctam Dialogi editionem.

Itaque nonnulla in textu, quem vocant, Bekkeriano mutavi, quae aut in aliorum editionibus et in ipsis nonnunquam Bekkeri adnotationibus praestare videbantur aut quae ipse ita conjeceram, ut, si non perspicue vera, at ceteris saltem haud dubie meliora esse crederem. Sed et his et omnibus omnino locis, quorum etiam post Orellii et Bekkeri operam non satis certa videri poterat lectio, potiorem lectionum varietatem et adnotationem criticam adjeci, ita meo quoque qualicunque studio eos adjuturus, qui justam tandem plenoque commentario instructam dialogi editionem paraturi essent.

Scripsi Berolini mense Oct. a. MDCCCXXXI.

C. Cornelii Taciti

De oratoribus Dialogus.

Breviarium *).

Cap. 1. Dialogi occasio. 2. 3. Confabulationis argumentum. Curiatium Maternum, ex oratore poetam, M. Aper orator, judice Julio Secundo, a poeticis studiis avocare tentat. 4. Maternus sanctiorem se eloquentiam sectari profitetur. 5—7. Instat Aper et oratoriae artis utilitatem, voluptatem, dignitatem celebrat, idque S. Marcelli Eprii et Crispi Vibii exemplis comprobat; 9. contra carmina dignitate et utilitate destitui nec nisi laudem inanem dare et gaudium volucre. Laude dignam esse Vespasiani liberalitatem in vatem Salejum Bassum; pulcrius tamen esse, sibi ipsi prospicere et suum genium propitiare. Nec voluptatis quidquam praebere poeticam, quippe vatibus in solitudinem sit secedendum, 10. tum poetas esse offensis obnoxios. Maternum proinde rectius acturum, si ab auditoriis et theatris in forum et ad caussas redeat.

11—13. Maternus contra poeticae studium securitatem praestare et innocentiam, majorem quoque gloriam, quam forensis labor concedat, quod aurei saeculi exemplo constet. Voluptatem porro puriorem adferre secessum in nemora et lucos, quam sanguinantem eloquentiam. Dulces Musas revocare suos cultores a sollicitudinibus et curis.

*) Ex ed. Ernest. descriptum.

14. Supervenit Vipstanus Messala. Is, antiquorum admirator, Aprum a novorum rhetorum more ad veterem formam trahere nititur. 15—18. Aper repugnans movet quaestionem, quinam oratores vocandi sint antiqui. Hos venerantur Messala, Secundus, Maternus. Aper saeculi sui partes tuetur, nec veteres esse dicendos judicat, quos eorumdem hominum aures adgnoscere potuerint. Ciceronem et coaetaneos, fere in medio positos, ab antiquorum adseclis istis accenseri. In iis, qui vocentur antiqui, plures deprehendi species, nec unum esse eloquentiae vultum. Malignitate humana vetera in laude, praesentia in fastidio esse. 19. Cassium Severum, quem terminum antiquitatis constituant, a vetere flexisse via non inscitia, sed judicio et intellectu; cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque orationis fuisse mutandam. 20. Variis scatuisse veterem eloquentiam vitiis. Auditorum coronam exigere jam laetiorem et pulcriorem orationem et poeticum decorem. 21. 22. Dijudicat dein Aper Calvi, Coelii, Caesaris, Bruti, Asinii, Corvini orationes et carmina et praecipue Ciceronis, cujus laudes canit et vitia reprehendit, quae sola perversis imitatoribus placeant. 23. Veram esse eloquentiae artem, antiquorum laetissima quaeque imitari et a recentibus feliciter reperta miscere.

24. Jam Maternus hortatur Messalam, ut missa laudatione antiquorum, qui illa non indigeant, caussas expromat, cur in tantum ab eorum eloquentia recesserit recentior aetas. 25. Messala monet, quinam antiqui dicendi; plures fuisse dicendi formas iisdem saeculis; docet, quid sentiendum sit de eloquentia Calvi et ceterorum, de quibus mox dictum; addit, quod se obtrectarint invicem, vitium esse non oratorum, sed hominum. 26. C. Gracchi impetum et L. Crassi maturitatem praeferendam esse calamistris Maecenatis aut tinnitibus Gallionis. Cassium Severum parum habere sanguinis et rixari magis, quam pugnare, nec adtulisse Aprum, quem Ciceroni vel Caesari opponeret. 27—29. Petente Materno, ad explicandas causas transit Messala, cur eloquentia ceteraeque artes a vetere gloria desciverint, desidiam juventutis, negligentiam parentum, *inscientiam* praecipientium et oblivionem moris antiqui.

Ostendit, apud antiquos severam et sanctam fuisse liberorum educationem; aqud recentiores ad histrionalem favorem deflexisse et rhetores. 30—32. Ex ingenuarum artium scientia et varia eruditione exundasse antiquam eloquentiam, quod Ciceronis exemplo pateat; illarum contemptum primam esse corruptae eloquentiae caussam. 33—35. Tum juvenes olim, domestica disciplina imbutos, deductos esse ad oratores principes, quos sectati pugnare quasi in proelio didicerint: postea in scholas rhetorum transisse, ubi nihil discatur, nisi quod usum non habeat.

(Heic mutilus est Messalae sermo, forsan et periit Iulii Secundi, sequitur Materni oratio, capite trunca. Lacunam hanc complere nisus est Broterius. In iis, quae supersunt) 36. tradit Maternus: perturbatione olim et licentia, factionibus procerum et adsiduis Senatus adversus plebem certaminibus, eloquentiam viguisse; 37. neque quemquam magnam potentiam sine eloquentia consecutum: Demosthenis hoc et Ciceronis exemplo comprobari. 38. Primum Cn. Pompejum eloquentiae adstringendo nocuisse, eique veluti frenos imposuisse; tum 39. paenulas, quibus adstricti et quasi inclusi cum judicibus fabulentur oratores, itemque impedimenta a judicibus orta, debilitare eloquentiam. Praeterea res veluti in solitudine agi, quum oratori olim clamor plaususque addiderint animum. 40. Eloquentiam esse alumnam licentiae, contumacem, temerariam, arrogantem, nec in civitatibus bene constitutis oriri posse, quod exempla variarum gentium ostendant; 41. minorem esse obscurioremque gloriam inter bonos mores et in obsequium regentis paratos; bono sui saeculi cuique fruendum. 42. Disceditur.

Habitus est dialogus Flavio Vespasiano Aug. VI. Tito Vespasiano Caes. IV. Coss.

1. Saepe ex me requiris, Juste Fabi, cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat. Neque enim ita appellamus [1]) nisi antiquos: horum autem temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur. Cui percontationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris male existimandum habeam [2]), si idem assequi non possumus, aut de judiciis, si nolumus, vix Hercule auderem, si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes juvenis admodum audivi. Ita non ingenio sed memoria ac recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli diversas vel easdem [3]) sed probabiles causas affer-

1) Farnes. appellemus, quod inter recentiores Dronkius praetulit; sed ipsius auctoris est judicium hoc quoque in libro antiqua laudantis.

2) Farn. et antiq. edd. simpliciter existimandum exhibent; Lipsius et cum eo etiam Orellius existimandum sit; Cod. Rom. exist. habeam quod praeferendum videtur ob sequens auderem. Vide etiam in Lex. Tacit. s. v. particip. similes locutiones huic aetati proprias.

3) *Nihil* de Farn. hic Bekkerus, licet multi in his offenderint. Orell. suadet *nec easdem*, Doederl. transponenda esse verba censet: cum singuli

rent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet, iisdem nunc numeris iisdemque rationibus [4]) persequar, servato ordine disputationis. Neque enim defuit qui diversam quoque partem susciperet, ac multum vexata et irrisa vetustate nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret.

2. Nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, cum offendisse potentium animos diceretur tanquam in eo tragoediae argumento sui oblitus tantum Catonem cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum Marcus Aper et Julius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri, quos ego in judiciis non utrosque modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore juvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem, quamvis maligne plerique opinarentur nec Secundo promptum esse sermonem, et Aprum ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutum. Nam et Secundo purus et pressus et, in quantum satis erat, profluens sermo non defuit, et Aper omni eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat, tanquam majorem industriae et laboris gloriam habiturus, si in-

---

diversas, sed probabiles causas afferrent, vel easdem, dum formam cet. Utrumque displicet. Minus probabiles videri poterant causae quas in universum easdem singuli proferebant (easque haud dubie in iis, quae cp. 35. exciderunt, proposuerat auctor); sed nihilominus et ipsae aliquid probabant, dum formam sui quisque cet. Optime igitur habet vel easdem, sed probabiles. De signif. activa hujus vocis cf. favorabilis in lex. Tac.

4) iisdemque Farnes., sed rationibus pro orationibus tacite Bekk. recepisse videtur. Orell., Osannus, Dronk. (in adnot. p. 61.) cum Lipsiana prima orationibus retinuerunt; Schulz., Seebod., alii quidam rectius illud. Ex IISDEMQRATIONIBUS facillime depravari potuit vulgaris lectio iisdem orationibus. Errat Osannus cum dicit „Poteratne vero Tacitus a praestantissimis illis viris quae excogitata subtiliter acceperat, ea si iterum persecuturus erat, aliis rationibus enarrare, quam quibus illi usi fuissent?“ Sane poterat, etiam invitus, memoria labante. Ceterum orationibus h. l. latinitatis legibus repugnaret, ut recte Moserus V. C. in recens. Orell. edit. notavit; singularis esse deberet; sed tum alius esset sensus.

genium ejus nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur.

3. Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsum et, quem pridie recitaverat, librum intra [1]) manus habentem deprehendimus.

Tum Secundus, Nihilne te, inquit, Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offensas Catonis tui ames [2])? an ideo librum istum apprehendisti, ut diligentius retractares, et sublatis si qua pravae interpretationi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem sed tamen securiorem?

Tum ille, Leges quid Maternus sibi debuerit, et agnosces quae audisti. Quodsi qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet. Hanc enim tragoediam disposui jam et intra me ipse formavi. Atque ideo maturare libri hujus editionem festino [3]) , ut dimissa priore cura novae cogitationi toto pectore incumbam.

Adeo te tragoediae istae non satiant, inquit Aper, quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyesten consumas, cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix sufficeres [4]) etiamsi non novum tibi ipse negotium im-

1) Cujacius in marg. inter manus, quod non displicet Seebodio, Dronkio, Osanno, Orellio; Osann. praeterea in manib. legendum suadet, non improbante Orellio, cum intra manus minus latine dictum putet. Quid Farn. exhibeat non indicavit B., retinuit intra m., quod a Tacito profectum contendere ausim, licet insolentius dictum non negaverim; saepissime aliis praepositionibus pro in particula utitur, et optime hoc loco negligentiam quandam sedentis librumque manibus tenentis illa voce significasse videtur, et eam ipsam ob causam, nisi latinitatis quoque leges postularent, et, quem cum Lips. ex ed. Rom. depromptum legendum esse censerem. Alii male omittunt copulam.

2) „Perspicue verum. vulgo aures.“ LIPS. Nihil ultra Bekkerus. Sed cum Orellio credo tacite Lipsium e cod. Farn. deprompsisse. Male quidam cures.

3) Gron. suadet gestio. Schulz. cum Heins. destino recepit. Nihil opus mutatione. Vide Osann. ad h. l. et Lex. Tacit. in proleg. p. 92 sqq.

4) Farn. suffeceris. Ita etiam codd. Vatic., Dronk., Osann., Orell. Sed recte cum prioribus editt. Schulz., Oberl., Seebod., (ed. alt.) Bekk. *sufficeres*, latinitate sic postulante

portasses, Domitium et Catonem, id est nostras quoque historias et Romana nomina, Graecorum [5]) fabulis adgregare [6]).

4. Et Maternus, Perturbarer hac tua severitate, nisi frequens et assidua nobis contentio jam prope in consuetudinem vertisset. Nam nec tu agitare et insequi poetas intermittis, et ego, cui desidiam advocationum objicis, quotidianum [1]) hoc patrocinium defendendae adversus te poeticae exerceo. Quo lactor magis oblatum nobis judicem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod jam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat ut omissis forensium causarum angustiis, in quibus satis mihi superque sudatum est, sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colam.

5. Ego vero, inquit Secundus, antequam me judicem Aper recuset, faciam quod probi et modesti judices solent, ut in iis cognitionibus se excusent, in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praevalere. Quis enim nescit neminem mihi conjunctiorem esse et usu amicitiae et assiduitate contubernii quam Salejum Bassum, cum optimum virum tum absolutissimum poetam? Porro si poetica accusatur, non alium video reum locupletiorem.

Securus sit, inquit Aper, et Salejus Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminm gloriam fovet, cum causas agere non possit. Ego [1]) enim, qua-

5) Ita Bekk. (Farn.?) cum Schulzio, Oberl., Seebod. (ed. alt.), Dronk., qui Graeculorum voci, quam cum codd. Vat. Osann. et Orell. praetulerunt, hic nullum locum esse dicit. Recte.

6) Farnes. et editt. plurimae aggregares. Orell. recte Pithoei et Mureti lectionem a Bekk. adsumptam praestare dicit, ἀναχρόνιστον, immo soloecam esse constructionem illam, contendens. Qui cod. Farn. exaravit, post suffeceris, quod scripsit, punctum esse ponendum somniasse videtur.

1) Farn. cotidianum; cf. cp. 13 cotidie „F., ut fere solet" Bekk. Fartasse rectius.

1) Orell. (uncis inclusum) et praemissit, a Dronk. quoque, Osanno, aliis quibusdam receptum. Bekk. (Farn.?) cum Schulzio, Seeb. (edit. alt.) alliis jure omisit. In sequentibus etiam ex Bekkeri edit. nihil nisi societate plurium et sed ipsum e Farn. cod. esse constat. Sed recte habere videtur Pithoei illa emendatio „quatenus — defendi" pro valgari

tenus arbitrum litis hujus inveni, non patiar Maternum societate plurium defendi: sed ipsum solum apud vos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam, qua parere simul et tueri amicitias, adsciscere necessitudines, complecti provincias possit, amittit [2]) studium quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid est tutius quam eam exercere artem qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro ferat, ipse securus et velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus? Cujus vis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum perfugio [3]) et tutela intelligitur: sin proprium periculum increpuit, non Hercule lorica aut gladius in acie firmius munimentum quam reo et periclitanti eloquentia praesidium simul ac telum, quo propugnare pariter et incessere sive in judicio sive in senatu sive apud principem possis. Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit? qua [4]) accinctus et minax disertam quidem sed inexercitatam et ejusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit. Plura de utilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitror.

---

quatenus arbitrium litis hujus inveniri non patiar, Maternum solicite plurimum defendi; nec opus est Mureti correctione quando te nunc arbitrum. V. Dronk. ad h. l. et Schulz. in Exc. 1.

2) Farn. amitti, unde multi amittit, quod praefero. Vide Lex. Tacit. s. v. amittere. Bekk. omittit.

3) Bekk. praesidio: incertum utrum ex Farn. cod. receperit an ex editt., e. g. Schulzii, Oberl., Seeb. alt. retinuerit. Dronk., Osann., Orell. cum Vatic. codc. perfugio, quod praestat, cum et praecedat et sequatur praesidium.

4) Farnes. qui, quod nuperrime post Seeb. alt. etiam Rauchensteinius V. C. (in praef. edit. Orell. p. LI.) defendit. minax cum qua conjungi non posse contendens. Plurimi vero, etiam recentiorum, Ursini illam emendationem (qua) recepere, qua nihil aptius.

6. Ad voluptatem oratoriae eloquentiae transeo, cujus jucunditas non uno aliquo momento sed omnibus prope diebus ac prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato quam videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum? idque scire non pecuniae, non orbitati neque officii alicujus administrationi, sed sibi ipsi dari? illos quin immo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad juvenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. Ullane tanta ingentium opum ac magnae potentiae voluptas quam spectare homines veteres et senes et totius orbis [1]) gratia subnixos in summa rerum omnium [2]) abundantia confitentes, id quod optimum sit, se non habere? Jam vero qui togatorum comitatus et egressus! quae in publico species! quae in judiciis veneratio! quod [3]) gaudium consurgendi assistendique inter tacentes, in unum conversos! coire populum, et circumfundi coronam, et accipere affectum quemcunque orator induerit! Vulgata dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita percenseo. Illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota majora sunt. Sive accuratam meditatamque profert [4]) orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus et constantia; sive novam et recentem curam non sine aliqua trepidatione animi [5]) attulerit, ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua jucunditas est. Nam in ingenio quoque, sicut in agro, quanquam alia diu serantur, gratiora tamen quae sua sponte nascuntur.

---

1) Orbis bene defendit Orell.; Pithoeus urbis correxit, quod plurimi receperunt. De Farn. cod. Bekk. tacet.

2) Farn. rerum omnium. Bekk. cum ceteris omnium rerum retinuit contra cod. auctoritatem. Similem tamen transpositionem cp. 13. (Virgilii versibus) e Farn. in textum, qui dicitur, adsumpsit. Schulzius jam rerum omnium scripsit, sed incertum unde deprompserit.

3) Farn. quod id gaudium, sed praecedentium litterarum repetitio esse videtur.

4) Farn. perfert; Vat. recte profert; vulgo affert.

5) Farn. animus, quod Dronk. defendit; emendavit Pichena.

7. Equidem, ut de me ipso [1]) fatear, non eum diem laetiorem egi quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime favorabili natus quaesturam aut tribunatum aut praeturam accepi, quam eos quibus mihi pro mediocritate hujus quantulacunque in dicendo facultatis aut reum prospere defendere aut apud centumviros causam aliquam feliciter orare aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. Tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum habere quod, si non in ingenio oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit [2]). Quae fama et laus cujus [3]) artis cum oratorum gloria comparanda est? Qui tam illustres in urbe, non solum apud [4]) negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud juvenes et adolescentes, quibus modo recta et indoles est et bona spes sui? Quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? Quos saepius vulgus quoque imperitum et

1) Bekk. ipse, Farn. ipso, quod cum Orellio, Osanno, aliis praetuli, licet errare in hac voce Farn. pateat cp. 17, ubi de Cicerone ipse ferri non potest.

2) Codex (Farn. nuper collatus) tum abire quod si non in alio oritur. Pro abire Muret. habere, pro alio Freinsh. et Bekk. animo, Moser in actis Heidelb. a. 1831. p. 303. ingenio vel ex, ab, in ingenio, quod ipse ante jam conjeceram coll. cp. 8. ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint et quae supra leguntur: in ingenio — nascuntur. Orellii conj. nimis a cod. verbis recedit: quod indoles largitur. Optime habet in ingenio. Contra Freinsh. recte pugnat Orell.

3) Bekk. et alii quidam quid f. et l. cujusvis; Farn. quid, non quae, ut Orell., nimis nonnunquam Lipsianae editionis auctoritati tribuens, opinatus est. Pro cujusvis (quid Farnes. exhibeat B. non indic.) Orell., Osann., alii cujus cum vett. editt.; cujusvis Beroaldo debetur. Mihi quae fama et laus cujus cet. cum Orell. praeplacet. Graecismus est. Illud quid - comp. est latinitati non satis respondere videtur.

4) Farn. illustres et in urbe nesdum apud obscurioribus litteris um. Omissis viror. doctt. commentis hoc modo locum vexatissimum optime restitui posse crediderim: est? Qui tam illustres in urbe, non solum apud cet. — et nihil est nisi repetitio praecedentium litterarum, ut cp. 8. in eodem cod. intelligit et ceteros pro intelligit ceteros, *et obtinent in* imagines pro obtinent imagines. Bekk. retinuit est, *qui non ill. in* urbe solum apud cet.

tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et digito demonstrat? Advenae quoque et peregrini jam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac velut agnoscere concupiscunt.

8. Ausim contendere Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum, et Crispum Vibium (libentius enim novis et recentibus quam remotis et oblitteratis exemplis utor) non minus esse [1]) in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis, ubi nati dicuntur. Nec hoc illis alterius ter milies sestertium praestat [2]), quanquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse, sed ipsa eloquentia; cujus numen et caelestis vis multa quidem omnibus saeculis exempla edidit ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint, sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda sed oculis spectanda haberemus. Nam quo sordidius et abjectius nati sunt, quoque notabilior paupertas et angustiae rerum [3]) nascentes eos circumsteterunt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem illustriora exemplа sunt, quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos jam annos potentissimi

---

1) „vox deest; quam a me repono: esse notos LIPS.“ Nihil ultra Bekk., qui omisit; recte. Idem fere est h. l. esse quod versari, vivere; „ihre Existenz sei dort ebenso bekannt, wie in Capua oder V.“

2) Locus corruptissimus, cui Niebuhriana etiam cod. Farn. collatio nullam attulit medicinam. Lips. in prima edit. ita supplet: nec hoc illis alterius ter milies sestertium, alterius ** praestat (quamquam venisse) sed ipsa cet; in edd. posterioribus plenius: alterius bis milies HS. praestat. Alii aliter. Fortasse magis arridet, cum minus a cod. verbis recedat: nec hoc illius bis, alterius ter cet. In sequentibus vix est quod dubites, sed particulam syllaba finali praecedentis voc. absorptam esse in cod.; Bekk. uncis inclusit.

3) Farn. et Rom. angustiae reptum, unde Lips. angustia vel, e posteriore conj., angustiae rerum eruit. Angustia longius recedit a cod. scriptura, et praeterea ob frequentiorem in bonis scriptoribus usum pluralis, et ob seq. circumsteterunt (Schulzio monente) praeferendum angustiae. Orell. in notis: angustia penatum. — In praecedentibus haberemus (pro habemus) bene Orell. defendit e Farn. desumptum a Lipsio. Bekk. tacet.

sunt civitatis, et donec libuit, principes fori, nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur, quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intelligit ceteros quidem amicos suos niti iis quae ab ipso acceperint, quaeque ipsi [4]) accumulare et in alios congerere promptum est, Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam quod non a principe acceperint nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen negliguntur, tam Hercule quam divitiae et opes, quas facilius invenies qui vituperet quam qui [5]) fastidiat. His igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt.

9. Nam carmina et versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio), neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant neque utilitates alunt; voluptatem autem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. Licet haec ipsa, quae deinde dicturus sum, aures tuae Materne [1]) respuant, cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur? quis ideo domum defensus et tibi obligatus redit? quis Salejum nostrum, egregium poetam, vel si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem, deducit aut salutat aut prosequitur? nempe si amicus ejus [2]), si propinquus, si denique ipse in aliquod nego-

---

4) Farn. ipsis, quod etiam Vatt., editt. Spir., Put., aliae multae exhibent. Ipsi post Lips. a recentioribus receptum.

5) Qui Muret. inseruit; est etiam in codd. Vaticanis; recentiores, ni fallor, omnes receperunt. Veteres omiserunt, etiam Lips. in ed. a. 1574., unde suspicor Farn. quoque (de quo Bekk. tacet) pronomen omisisse; et potest omitti, melius tamen additur. Atque eodem modo ep. 12. omissum qui Farn. nunc exhibet: quam qui Virg.. ut jam. e Vatt. Brot. et Ernest.

1) Seebod., Osann., Orell. cum vett. editt. o Materne; omiserunt exclamationem Bip., Schulz., Oberl., recte. De codice Farn. Bekk. nihil memorat.

2) *Quidam ejus expunxerunt*; Bekk. tacite recepit, sed est e Farnes. libro, *Lipsio quidem teste.*

tium incideret, ad hunc Secundum recurret, aut ad te Materne, non quia poeta es, neque ut pro eo versus facias: hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem et jucundi, quorum tamen hic exitus est ut, cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire, et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur et auditorium exstruit et subsellia conducit et libellos dispergit. Et ut [3]) beatissimus recitationem ejus eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore praecepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem; nec aut amicitiam inde refert aut clientelam aut mansurum in animo cujusquam beneficium, sed clamorem vagum et voces inanes et gaudium vulucre. Laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. Pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem? Adjice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et jucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem, recedendum est [4]).

10. Nec [1]) opinio quidem et fama, cui soli serviunt et quod unum esse pretium omnis laboris sui fatentur [2]), aeque poetas quam oratores sequitur, quoniam mediocris poetas nemo novit, bonos pauci. Quando

3) Male expunxerunt et cum edd. vett. Dronk. et Osann. Retinendum est cum Lipsio.

4) Veterem hanc lectionem recedendum Orell., Osann. et Seebod. retinuerunt. Bekk. tacite recepit e Schelii conject. secedendum, quod sane magis congruit cum vulgari dicendi consuetudine, sed cf. reponere et seponere in Lex. Tac.

1) Orell. nec opinio „Sic etiam Lipsii I, Dronk. et Osann. ex editt. vett. Recentiores ne; in transitione vero nec.“ recte; et Bekk. haud dubie Oberl. tantum ed. retinuit lectionem ne; de codice quidem nihil memorat.

2) Farn. omnes laboris sui fatentur. Cur igitur sui laboris cum ceteris Bekk. dederit non perspicio.

enim rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. Quotus quisque, cum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis [3]) nostris loquar, in urbem venit, Salejum Bassum requirit? atque adeo si quis requirit, ut [4]) semel vidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tanquam eos quibus natura sua oratorium ingenium denegavit deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae. Ego vero omnem eloquentiam omnesque ejus partes sacras et venerabiles puto; nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque jucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo. Sed tecum mihi Materne res est, quod cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare [5]) mavis et summa adepturus [6]) in levioribus subsistis. Ut, si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac vires dii dedissent, non paterer immanes illos et ad pugnam natos lacertos levitate jaculi aut jactu disci vanescere, sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera praelia voco, cum praesertim ne ad illud quidem confugere possis quod plerisque patrocinatur, tanquam minus obnoxium sit offensis [7]) poetarum quam oratorum studium. Effer-

---

3) Schulting. Galliis conjecit. quod sine idonea causa Orell. in textum recepit.

4) .. Acidal. ut: codices et" Bekk. Recte Orell. quoque ut scripsit.

5) Nihil in h. v. mutandum, nam errat is, qui non recta via progreditur, quod praecedentibus verbis exprimitur. Cf. praeter locum ab Orell. laudatum Corn. Nepotis Dat. 4; Ann. 2, 23. postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat.

6) Recte sine dubio Orell. cum Acidal. adepturus „quod ipsa sententia imperiose requirit." Bekk. adeptus.

7) Vulgo offendere; Acidal. offensae; Rhenan. offensis. Dronk. offendere obnoxium graecam constructionem esse contendit (τῷ offendere) ut peritus obsequi, facilis corrumpi. Sed unum tan-

vescit enim vis pulcherrimae naturae tuae; nec pro amico aliquo, sed quod periculosius est, pro Catone offendis [8]). Nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris, aut [9]) elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. Sentio quid responderi possit: hinc ingentis exciri assensus [10]), haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem. Nobis satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus expressis [11]) si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.

11. Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento ore, remissus et subridens Maternus, Parantem me, inquit, non minus diu accusare oratores quam Aper laudavit (fore enim arbitrabar ut a laudatione eorum digressus detractaret poetas atque carminum studium prosterneret) arte quadam mitigavit [1]), concedendo iis

---

tum Taciti locum congruum crediderim Ann. 14, 56.: factus natura et consuetudine exercitus (τῷ) velare odium fallacibus blanditiis. Tamen non ferendum esse puto offendere hoc loco, licet Bekk. quoque exhibuerit et Orellius.

8) Farn. effervescet et offendes; sed praeplacet praesens utriusque vocis, sicut in sequentibus etiam idem tempus observatur. Nihilominus vera sunt quae Osann. dicit, non de Catone solum sermonem esse, sed simul de omnibus quas Maternus scripturus sit tragoediis.

9) Aut e cod. Farn. Bekk. addidit; aptius et putem vel atque.

10) Farn. hic ingentis ex his asssensus. haec; — a Wolfio est exciri; magis placet Acidalii existere.

11) De cod. Farn. nihil hic indicat Bekkerus. In Lipsiana conj. in quibus expressit siquando necessitas collocatione verbb. offendimur; nec aliorum commenta satisfaciunt. Credo nihil mutandum esse, et expressis idem duco quod expromptis: wenn man einmal, damit hervortretend, nöthig hat etc. Bene moderationi significandae h. v. inservit; opp. τῷ sumere, quod praecedit.

1) Farn. parant enim quid non, unde illa enata sunt, quibus, interpunctione etiam, antea corruptissima, mutata Bekkerus salutem huic vexatissimo loco attulit. Me noli ad parantem, sed ad mitigavit trahere. Laudaverrat quod Farn. pro laudavit exhibet, defendi po-

qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem in Neroneis improbam [2]) et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi; et hodie si quid in nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum. Ac jam me dejungere [3]) a forensi labore constitui, nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco, non magis quam aera et imagines, quae etiam me nolente in domum meam irruperunt. Nam statum hucusque ac securitatem melius innocentia tueor [4]) quam eloquentia; nec vereor ne mihi unquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint.

---

test cum Orellio; sed in verbis non minus diu non est quod cum viro clarissimo offendas. Diu accusare solet, qui vehementer accusat; eine lange Rede gegen Jemand halten, idem fere est quod nachdrücklich gegen Jemand reden. Commenta igitur virorum doct., variasque lectiones inde exortas omnibus jam sanatis commemorare taedet.

2) Bekk. cum quidem in Nerone improbatam. Farn. cum quidem; sed de ceteris in Nerone improbatam Bekk. non attulit cod. auctoritatem. Improbatam Gronovii est conjectura pro antiquo in Nerone improbam. Hoc rectum puto, sed cum Osanno in Neroniis vel potius in Neroneis, quod minus ab antiquis illis recedit, scribo, et Orellium quoque video in Neroniis improbam recepisse. Cf. Suet. Nero 12. Instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae, more Graeco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia.

3) Schulz., Oberl., Seebod., alii vulgatam lect. sejungere retinuerunt; Dronk., Osann., Orell. dejungere habent, quod est in quibusdam vett. editt. Num Farn. dejungere exhibet?

4) Bene B. hucusque et tueor (Farn?) pro cujusque et tuetur. — hucusque Lips. correxit, tuetur est a Pichena. Orellio displicet status vox nude posita, sed facile meum subintelligitur. Cf. Lex. Tac. s. h. v. Quod vero dicit ideo statum cujusque — tuetur legendum esse, quod generalis sit sententia, in apertissimo est errore; nam totus h. l. nexus demonstrat, omnia ad ipsum Maternum spectare. Hinc optime etiam τῷ unquam respondet hucusque. Pro ac secur. Farn. ad secur.; Lips. ac correxit; Dronk. ad retinuit; male.

12. Nemora vero et luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem quod nec in strepitu nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Haec eloquentiae primordia, haec penetralia; hoc [1]) primum habitu cultuque commoda [2]) mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit; sic oracula loquebantur. Nam lucrosae hujus et sanguinantis [3]) eloquentiae usus recens et ex malis moribus natus, atque ut tu dicebas Aper, in locum teli repertus. Ceterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum saeculum, et oratorum et criminum inops, poetis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. Nec ullis aut gloria major aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum, sed Orphea et Linum, ac si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus. Vel si haec fabulosa nimis et composita videntur, illud certe mihi concedis [4]) Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. Plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam quam qui Virgilii detractent; nec ullus Asinii

---

1) Penetralia hoc omittit Farn.

2) Vulg. lectio, quam Oberl. quoque, Seebod. (ed. alt.), Dronk., Osann. retinuerunt. Commendata, commodata, comta, commota conjecerunt interpp. Nihil sane opus mutatione (Farn.?). Commoda mort. el. est quae vere prospicit hominum commodis.

3) Male sollicitavit hanc lectionem Orell. in Emend. allato Cic. loco ubi est reip. sanguinesaginantur. Quis absolute positum saginantis feret! optime vero sanguinans eloq. dicitur ut sanguinans unda. V. Schulz. Egregie etiam congruit quod sequitur „in locum teli repertus.“

4) Orell. in Emend. concedes cum Acid. et Heum. Alia ratio est loci cap. 33 id certe concedet; hic vero multo majorem vim concedis (Farn.?) orationi addit.

aut Messallae [5]) liber tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes.

13. Ac ne fortunam quidem vatum et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita. Licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint, malo securum et secretum [1]) Virgilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit. Nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna [2]) concupiscendum? Quod timent, an quod timentur? Quod, cum quotidie aliquid rogentur, ii quibus praestant indignantur? Quod adligati cum adulatione [3]) nec imperantibus unquam satis servi videntur nec nobis satis liberi? Quae haec summa eorum potentia est? Tantum posse liberti solent. Me vero dulces, ut Virgilius ait, Musae, remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque

---

5) Farn. Messallae geminata l littera, recte haud dubie. Cf. Wiesii, viri doctissimi diss. inaug. de M. Val. Messallae Corvini vita et studiis doctrinae pag. 5 sq. Bekk. Messalae, et sic plurimi.

1) Bekk. cum Vatt. codd. quietum, Farn. secretum, ut veteres edit. Recte hoc Orell. tuetur, et admodum familiaris est Tacito secreti vox. Supra Farn. et pro ad ante consulatus, unde vulg. lect. error enatus esse videtur: licet illos agitent cert. et peric. sua et controversiae, malo cet. Veram lect. Lips. e Farn. petiit; Bekk. nihil monet, nisi quod et pro ad in Farn. esse *dicit*.

2) Ita codd. Vatt.; veteres edd. ante Ernest. in hac praesenti fortuna, quod Orell. quoque retinuit, ita Farn. habere putans, cum nihil contra moneat Lipsius. Bekk. tacet.

3) Alii cum omittunt, alii uncis includunt; Bekk. ne verbum quidem de Farn.; Orell. deletam particulam malit, Osann. defendit, non male, ut mihi quidem videtur, coll. cp. 7. cum gratia venit. Non aperti quidem sunt adulatores, sed arctissimis tamen vinculis cum adulatione quasi *copulati*.

fontis ferant; nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar [4]). Non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet; nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam; nec plus habeam quam quod possim, cui velim, relinquere, quandocunque [5]) fatalis et meus dies veniet. Statuarque tumulo non maestus et atrox, sed hilaris et coronatus; et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget.

14. Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus, cum Vipstanus Messalla cubiculum ejus ingressus est, suspicatusque ex ipsa intentione singulorum altiorem inter eos esse sermonem, Num parum tempestivus, inquit, interveni secretum consilium et causae alicujus meditationem tractantibus?

Minime, minime [1]), inquit Secundus; atque adeo vellem maturius intervenisses. Delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta, utque poetas defendi decebat, audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.

Me vero, inquit, et sermo ipse infinita voluptate affecisset, atque id ipsum delectat, quod vos, viri optimi

---

4) Farn. pallantem; nihil praeter hoc B. de codice; neque vero etiam locus esse videtur ulli dubitationi, nisi forte e Farn. lect. eruere velis fallacem.

5) Farn. quandoque enim, deinde veniat; idem statuar, non statuarque habere videtur (Bekk. tacet), cum illud enim addiderit non satis perspecto verborum nexu. Nam displicet Orellii ratio, qui idem legendum et distinguendum esse putat: relinquere: quandoque (= et quando) fat. et meus d. veniet, statuar tumulo cet. Equidem rectum puto quandoque — veniat; statuarque cet. Cf. de v. quandoque Lex. Tac. Retinui tamen Bekkeri lect. et interpunct.

1) Hanc vocem primus iterasse dicitur Beroaldus; Orell., Osann., Dronk. simplicem posuerunt; Bekk. (Farn?) cum Oberl., Seebod. (ed. alt.), Schulz., aliis duplicem. Quod Osann. dicit „si iterandum fuisset, auctor, puto, scripsisset minime, inquit Secundus, minime“, non agnosco.

et temporum nostrorum oratores [2]), non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed ejusmodi etiam disputationes assumitis, quae et ingenium alunt et eruditionis ac litterarum jucundissimum oblectamentum cum vobis, qui illa [3]) disputatis, afferunt, tum etiam iis ad quorum aures pervenerint. Itaque Hercule non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Asiatici vitam componendo spem hominibus fecisti plurium ejusmodi librorum, quam in Apro, quod nondum a scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere.

15. Tum Aper, Non desinis, Messalla, vetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere? Nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae, neminem hoc tempore oratorem esse contenderes; atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis opinionem [1]) non verebaris, cum eam gloriam quam tibi alii concedunt ipse tibi denegares.

Neque illius, inquit, sermonis mei paenitentiam ago, neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum Aper, quanquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo. Ac [2]) velim impetratum ab aliquo vestrum ut causas hujus infinitae differentiae scrutetur ac red-

---

2) Schulz. vere optimi temp. n. o., Ursin. et Muret. vos viri optimi et optimi t. n. o. „Vulgata melior est, modo oratores cum emphasi dictum accipias. Vere in Sch. emendat. languet.“ Rauchenstein. recte.

3) Farn. jam; fortasse jam illa, cum futurum tempus praesenti opponatur.

1) Vetus scriptura; esse contenderes. Antiquis eo credo audacius quo maligni in iis opin. Lips. emend. Atque id pro antiquis, Rhenan. malignitatis op. pro maligni in iis op., Acidal. maligni judicis. Bekk. nihil e Farn. attulit novi. Igitur acquiescendum in his viror. doctt. conjecturis, et est haud dubie Farn. cod., unde veterem illam scripturam Lips. sumpsit. Consentiunt cum ea Vatt. Malignitatis minus ab ea recedit quam maligni judicis.

2) „At velim e Spir. Dronk. et Osann. pro ac v., quod Put. debetur“ Orell.; Bekk. (Farn.?) cum Schulz., Seebod. ed. alt., Oberl. ac praetulit; recte.

dat, quas mecum ipse plerumque conquiro. Et quod quibusdam solatio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam Grajis accidisse ut longius absit Aeschine [3]) et Demosthene sacerdos iste Nicetes, et si quis alius Ephesum vel Mytilenas [4]) contentis [5]) scholasticorum clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.

16. Magnam, inquit Secundus, et dignam tractatu quaestionem movisti [1]). Sed quis eam justius explicabit quam tu, ad cujus summam eruditionem et praestantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?

Et Messalla, Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adjuvetis.

Pro duobus, inquit Maternus, promitto. Nam et ego et Secundus exsequemur eas partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire et tu paulo ante dixisti, et ipse satis manifestus est jamdudum in contrarium accingi, nec aequo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam.

Non enim, inquit Aper, inauditum et indefensum saeculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis. Ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intelligo; ac mihi versantur ante oculos Ulysses [2]) et Nestor, quorum aetas mille fere et trecentis annis saeculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis con-

---

3) Vulgo ante Lips. Aeschines et Demosthenes sac. iste enitet. Eo facilius ante Aesch. ab excidisse poterat, quod est in marg. Franeof.

4) Num Farn. ita? Ceteri quidem Mityl. praeter Dronk. Vide Osanni adnot.

5) Farn. contentus; Freinsh. continuis. In edit. Pithoei leg. contentis, jam F. A. Wolfio probatum.

1) Farn. movistis; error est ex sequenti sed.

2) Orell., Dronk., Osann. Ulixes e Spir. „Hanc scripturam Latinis fere solam usitatam fuisse post alios nuper docuit Osann. ad Apul. fragm. p. 52.“ Dronk.

stat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita ta men ut utrique superstites essent. Ex quo apparet noi multo plures quam quadringentos annos interesse inte nostram et Demosthenis aetatem. Quod spatium tem poris si ad infirmitatem corporum nostrorum referas fortasse longum videatur [3]); ad naturam saeculorum a respectum immensi hujus aevi perquam breve et i proximo est. Nam si, ut Cicero in Hortensio scribit is est [4]) magnus et verus annus quo eadem positi caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum exsis tet, isque annus horum quos nos vocamus annorun duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor com plectitur, incipit Demosthenes vester, quem vos veteren et antiquum fingitis, non solum eodem anno quo nos sed ferme [5]) eodem mense exstitisse [6]).

17. Sed transeo ad Latinos oratores, in quibu non Menenium, ut puto, Agrippam, qui potest vider antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere sole tis, sed Ciceronem et Caesarem et Coelium [1]) et Cal vum et Brutum et Asinium et Messallam. Quos qui dem cur antiquis temporibus potius ascribatis quam nos tris, non video. Nam ut de Cicerone ipso loquar, Hir tio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus ejus scripsit, septimo idus Decembris [2]) occisus est, quo an no divus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Quintum Pedium consules suffecit. Statue sex [3]) et

3) Farn. videtur.

4) Est a Farn. abest., et potest abesse.

5) Farn. fama, vulgo fere.

6) Incipit — exstitisse. „Haec dictio suspecta erat Ernestio; simile est quod legimus 11, 3. ingredi famam auspicatus sum.“ Dronk. Adde Germ. 30. initium sedis inchoant.

1) Farn. alium, unde suspicari fortasse licet, rectius cum Orell. et aliis Caelium scribi.

2) „In veteri libro (Farn.) erat VII. Idus.... occisus; relicto spatio desideratae voci, quam de historiae fide addidi.“ Lips. Orell. laudante; Bekk. D quoque ante Augustus Farn. deesse dicit.

3) Farn. novem; eundem numerum Vatt. exhibent, veteres editt. VIII.; ita Dronk. et Osann.; Schulz., Seebod. (in ed. alt.) Orell. et Bekk. cum *Lips. VI. et L. Cf. Suet.* Oct. 8.

quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rem publicam rexit; adjice Tiberii tres et viginti, et prope quadriennium Gai [4]), ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque ipsum Galbae et Othonis et Vitellii longum et [5]) unum annum, ac sextam jam felicis hujus principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet: centum et viginti anni [6]) ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas. Nam ipse ego in Britannia vidi senem, qui se fatebatur ei pugnae interfuisse qua Caesarem inferentem arma Britanniae [7]) arcere littoribus et pellere adgressi sunt. Ita si eum, qui armatus Gaio Caesari restitit, vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, idem Caesarem ipsum et Ciceronem audire potuit et nostris quoque actionibus interesse. Proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. Ex quo colligi potest et Corvinum ab illis et Asinium audiri potuisse: nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit. Ne [8]) dividatis saeculum, et antiquos ac veteres vocitetis oratores quos eorundem hominum aures agnoscere ac velut conjungere et copulare potuerunt.

18. Haec ideo praedixi, ut si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus acquiritur, ean-

---

4) Ita B. pro Caji (Farn.?); Dronk. in annot. Cai ex vett. editt.

5) Longum et e Farn. additum; falso igitur Orell. haec verba quasi ex stulto glossemate orta rejecit. Idem vero est h. l. ac longum sed unum.

6) Proprie anni CXVIII. vel CXVII., sed rotundus est numerus. Fortasse ii, qui supra in codd. et libris novem et octo scripsere, id supplendae rationis gratia fecerunt.

7) „Britannis e Bip. conj. Oberl.; Ernest. volebat Britanni. Quum defendi aliquatenus possit vulgata, nihil mutandum esse duxi.“ Orell. „In voce Britanniae et aggressi sunt hoc minus offendendum, quum Britannus ipse sit, qui narret, quid sui fecerint.“ Rauchenstein.

8) Ita Farn., alii nec; Orell. utrumque dicit aliquid abrupti habere, putatque fuisse ne nunc dividatis. Equidem ne igitur div. potius desiderari crediderim; sed nulla opus est mutatione; bene habet ne.

dem docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Servio Galbae, Gaio Carboni, quosque alios merito antiquos vocaverimus. Sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam nulla parte [1]) imitatus esset Calvus vester aut Coelius aut ipse Cicero. Agere enim fortius jam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. Sic Catoni seni comparatus Gaius Gracchus plenior et uberior; sic Graccho politior et ornatior Crassus; sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis elaboratus. Nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos plures species deprehendi; nec statim deterius esse quod diversum est; vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. Num dubitamus inventos qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur? Satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exsultans et superfluens et parum Atticus [2]) videretur. Legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistolas, ex quibus facile est deprehendere Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque dijunctum; rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tanquam solutum et enervem, a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum atque elumbem. Si me interrogas, omnes mihi videntur verum dixisse. Sed mox ad singulos veniam: nunc mihi cum universis negotium est.

19. Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem us-

---

1) Farn. et Vatt. nulla parte; Muretus: ne in illa, ingeniose sane, sed in codd. lectione acquiescendum puto. Bekkerus Mureti conj. recepit. Ita Ursin. et Lips. emendaverunt ex antiquus, quod praeter alios Orell. quoque defendit; sed recte Schulz. „ob id ipsum taxatur hoc capite Cicero, quod antiquos nimium secutus sit.“

que ad Cassium Severum faciunt [1]), quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad id dicendi genus contendo, sed judicio et intellectu [2]). Vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum condicione [3]) temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Facile perferebat prior ille populus, ut imperitus et rudis, impeditissimarum [4]) orationum spatia; atque id ipsum laudi dabatur, si dicendo quis diem eximeret. Jam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus [5]), et quicquid [6]) aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur, in honore erat; et [7]) si quis odoratus philosophiam videretur atque ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur. Nec mirum: erant enim haec nova et incognita, et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognoverant. At Hercule pervulgatis jam omnibus, cum

---

1) Ex recenti Farn. cod. collatione nihil ad vexatissimi hujus loci lectionem certius constituendam redundavit. Cod. (Farn.) a Lips. collatus et Vatt. exhibent ad Cassium quem reum faciunt, unde Puteol. ad Cassium Severum faciunt eruit, eumque omnes secuti sunt. Sed totus verborum nexus corruptus esse videtur et magis in pronominibus offendimur, quam in locutione illa nuper quoque ab Osanno et Orellio lacessita terminum facere (vide Lex. Tac. s. v. facere). Fortasse non displicet Nam quatenus antiq. admiratores, dum velut term. antiq. const. solent, hunc usque ad C. S. faciunt cet.

2) Gron. delectu; sed inspice Lex. Tac. s. v. intellectus.

3) Ceteri conditione (Farn.?)

4) Ita Muret. pro imperitissimarum, quod quomodo defendere atque in textum etiam recipere potuerint Dronk. et Osann. jure miratur Orell.; impedit. jam ob seq. spatia legi debet; error iste e praecedente imperitus exortus est.

5) Alii genera et supra laudabat pro laudi dabatur, sed Orell. et hoc et gradus Lipsium e Farn. sumpsisse haud injuria contendere videtur. Bekk. tacet.

6) Num ita Farn.? Alii quidquid.

7) Vatt. et edd. quaedam, etiam recentiores omnes quod si quis. Bekk. tacite recepit et; illud praetulerim.

vix in cortina [8]) quisquam assistat quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos judices qui vi et potestate, non jure et legibus cognoscunt, et nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec exspectandum habent oratorem dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem revocant et festinare se testantur.

20. Quis nunc feret oratorem de infirmitate valetudinis suae praefantem? qualia sunt fere principia Corvini. Quis quinque in Verrem libros exspectabit? quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina quae pro Marco Tullio aut Aulo Caecina legimus? Praecurrit hoc tempore judex dicentem, et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem. Vulgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor assuevit jam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in judiciis tristem et impexam antiquitatem quam si quis in scena [1]) Roscii aut Turpionis Ambivii exprimere gestus velit. Jam vero juvenes et [2]) in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum memoria volunt; traduntque in vicem ac saepe in colonias ac provincias suas scribunt, sive sensus aliquis argutа et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et

---

8) Alii corona, quod Orell. quoque recepit, male. Vide Lex. Tacit. Ad explic. cort. vocem sufficit locus a Lips. laudatus Severi in Aetna v. 295. magni cortina theatri i. e. incurva pars extremi theatri, ubi faex hominum considet, quae Schulzii ad h. l. verba sunt. Quis cortina pro corona scripserit! contra facillime fieri potuit. Et Lips. haud dubie in Farn. invenerat cortina.

1) Farn. scenam et ex Lipsii quidem testimonio Turpionis aut Ambivii, quod optime emendavit omisso aut; sed eadem particula latet fortasse in Farn. scenam, ut cum Oberl., Dronk., Seebod. (ed. alt.) et Osanno legas scena aut Roscii, nisi forte mavis Q. Roscii.

2) Bekk. de copula a multis omissa non attulit Farn. cod. auctoritatem. Recte eam defendit Orell.; facillimus error ob praeced. litteras.

poetico cultu enituit. Exigitur enim jam ab oratore etiam poeticus decor, non Attii [3]) aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus. Horum igitur auribus et judiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior exstitit. Neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad aures judicantium cum voluptate perveniunt. Quid enim, si [4]) infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur?

21. Equidem fateor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. Nec unum de populo Canutium aut Arrium Furniumve nominabo, quosque alios [1]) in eodem valetudinario haec ossa et haec macies probant. Ipse mihi Calvus, cum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit. Nec dissentire ceteros ab hoc meo judicio video: quotus enim quisque Calvi in Ascitium [2]) aut in Drusum legit? At Hercule in omnium [3]) studiosorum manibus versantur accusationes quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex his oratio. Est enim verbis ornata et

---

3) Orell. et alii multi Accii. Farn.?

4) „Vitii aliquid his verbis inesse puto“ Ernest. Haec Bekk., nihil ultra. Orell. quid enim? si; Osann. quid enim nisi; Orell. opinatur scriptum esse quid enim? scilicet. Nihil mutandum esse credo; elliptice dictum puta ex more hujus maxime aetatis.

1) „Liber vetus (Farn.) nec unum de populo Ganuti aut Atti [B. inseruit attii] de Furnio et Coranio alios in eodem valetudinario. Fortasse: nec unius de populo Arii de Furnio a. Toranio quique alii in.“ Lips. — Bekk. Gronovii emend. recepit. Recentiores nihil proposuerunt, quod magnopere se commendet.

2) Bekk. cum vett. et recentt. plerisque Asitium. Lips. conj. Asinium; Muret. in cod. suo leg. Ascitium, quod optimo jure Orell. in Emend. rectum putat coll. Cic. pro Caelio cp. 10. At praevaricatione est Ascitius liberatus. — Sed Coelius optimam causam Ascitii esse arbitratur.

3) Ita melius haud dubie Orell., Seebod. (ed. alt.) alii ex Acid. conj. Vulgo (quod Bekk. quoque retinuit) hominum.

sententiis, auribusque [4]) judicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem ei, quin [5]) sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuise. Quid ex Coelianis orationibus [6])? nempe eae placent, si non universae, at partes earum [7]), in quibus nitorem et altidudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem; nec quemquam adeo antiquarium puto ut Coelium ex ea parte laudet qua antiquus est. Concedamus sane Gaio Caesari ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam [8]) divinum ejus ingenium postulabat; tam Hercule quam Brutum philosophiae suae relinquamus: nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores ejus fatentur. Nec fere [9]) quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Dejotaro rege ceterosque ejusdem lentitudinis ac teporis [10]) libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur. Fecerunt enim et car-

---

4) Bekk., ut vulgo (Farn.?) auribus; melius multo Schulz., Osann., Orell. auribusque.

5) Bekk. cum Vatt. (Farn.?) quo; melius quin, quod plurimi habent. — ei post voluntatem recte e Vatt. (Farn.?) etiam ab Orell., Osanno, Dronk. additur.

6) Orell. cum Pith. et Seebod. (ed. alt.) Quid? ex Coel. orat. nempe cet., minus bene. Schulting. de Coelianis, non male. De Farn. nihil suppeditat Bekk.; quod sequitur eae pro vulg. hae, quod Orell. quoque repudiavit, cum Farn. auctoritate recepit.

7) Farn. sive in universa parte serum. Bekk. Acidal. conj. adsumpsit. Multi (etiam Orell.) minus bene Pithoeum secuti sunt: sive univèrsae sive partes earum legentes.

8) „Farn. rerum in aeloquentiam effecerit quae, quasi fuerit in eloquentia non eff.“ Bekk. Recepit vulg. lectionem, in qua tamen multi in omiserunt, quod non posse omitti Schulz. bene perspexit. Fortasse genuinum illud, quod Bekk. suppeditavit, mutate quae in quod.

9) Ita cum Gron. Bekk. (Farn.?); alii nec forte, nisi forte. Orell. nisi forte, et in annot. pro nisi qui legendum suadet scilicet qui. Nos Gron. rationem probamus.

10) Ita Lips. pro temporis (Farn.?); Schel. torporis; Schulz. in annotat. languoris.

mina et in bibliothecas rettulerunt [11]), non melius quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse panciores sciunt. Asinius quoque, quanquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Attium [12]) non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est [13]). Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris ipsosque nervos rubore tegit et decore commendat [14]). Nolo Corvinum insequi, quia non per ipsum stetit quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret. Viderimus, in quantum judicio ejus vis aut animi aut ingenii suffecerit [15]).

22. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit quae mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat; nec ulla re magis ejusdem aetatis oratores praecurrit quam judicio. Primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et compositioni artem; locos quoque [1]) laetiores [2]) attentavit et quasdam sententias invenit, utique in iis orationibus quas

---

11) Num ita Farn.? Ceteri retulerunt; sed Dronk. rettulerunt.

12) Ita Schulz., Oberl., Osann., Dronk.; Seeb. (ed. alt.) et Orell. Accium.

13) Ita Lips. e cod. (Farn.?); male omiserunt est Dronk. et Osann.

14) Nihil e Farn. cod. Bekk. affirmat, nisi rubore in eo esse, quod jam in Lipsiana h. l. lectione erat, quam merito retinuit, exceptis verbis ipsos quoque, pro quibus cum Vatt. et Muret. ipsosque jure praetulit. Eandem rationem Orell. secutus est. Schulting. et Gron. tingit pro tegit.

15) Ita Lips. Orell. teste legendum putavit. Freinshemius stetisse - videmus, in quantum - suffecit. Bekk. de Farn. nihil adnotat, nisi deesse in eo vis; ceterum corruptum sine correctione ex vulgatis exscripsit locum: viderimus, inquam, judicio ejus vis aut a. a. ing. suffecit (vulg. suffecerit, Orell. sufficeret). Lipsiana illa Seebod. quoque recepit.

1) Melius fortasse locosque, quae vulg. lectio est; locos quoque Vatt. De Farn. B. tacet., nisi ad eum refert verba in annot. „erat locosque.“

2) „Laetiores Farnesiano tribuerim, quum sic habeat jam Lips. I. Solet adscribi Mureto pro latiores“ Orell.; Bekk. tacet.

senior jam et juxta finem vitae composuit, id est postquam magis profecerat, usuque et experimentis didicerat quod optimum dicendi genus esset. Nam priores ejus orationes non carent vitiis antiquitatis. Lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; tarde commovetur, raro incalescit; pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur. Nihil excerpere, nihil referre possis; et velut in rudi aedificio firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum patrem familiae, non eo tantum volo tecto tegi quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet; non ea solum instrui suppellectile quae necessariis usibus sufficiat, sed sit [3]) in apparatu ejus et aurum et gemmae, ut sumere in manus, ut aspicere [4]) saepius libeat. Quaedam vero procul arceantur ut jam oblitterata [5]) et olentia; nullum sit verbum velut rubigine infectum; nulli sensus tarda et inerti structura in morem Annalium componantur; fugitet foedam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo terminet [6]).

23. Nolo irridere rotam fortunae et jus Verrinum et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum „esse videatur.“ Nam et hoc invitus [1]) rettuli [2]), et plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii qui se antiquos oratores vocant [3]).

---

3) Ita nulla auctoritate allata B. Ex editt. vett. Dronk., Osann., Orell. sed etiam sit. Sed abest jam in ed. Lips. I. etiam.

4) Ita Farn., non adspicere; Lips. quoque I. aspic. habet.

5) Num ita Farn.? alii obliterata.

6) Farn. (et B.) determinet (supra item F. arcentur, non arceantur), quod Lipsius correxit. Equidem terminet praefero. Recte Orellius: „de huic v. adhaesit e praeced. syllaba do.“ Pro fugitet, quod Vatt. exhibent, Farn. fugiet, vulg. fugiat.

1) Farn., Vatt. et Rom. invitatus, quod male defendit Dronk. cum Lips. Puteol. invitus. Quod praecedit hoc in haec mutavit Acid.; Schulz. recepit.

2) Farn.?; alii retuli.

3) Sic Lips. pro vulg. (Vatt.) vocabant. Schurzfl. et Schulting. maluerunt vocitant (non vocitent, ut aiunt Dronk. et Osann.).

Neminem nominabo, genus hominum significasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos qui [4]) Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt; quibus eloquentia Aufidii [5]) Bassi aut Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet; qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calvi mirantur. Quos more prisco apud judicem fabulantes non auditores sequuntur [6]), non populus audit, vix denique litigator perpetitur; adeo maesti et inculti illam ipsam, quam jactant, sanitatem non firmitate sed jejunio [7]) consequuntur. Porro ne in corpore quidem valetudinem medici probant quae animi anxietate contingat [8]). Parum est aegrum non esse: fortem et laetum et alacrem volo. Prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos vero [9]), disertissimi, ut potestis, ut facitis, illustrate saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam et te, Messalla, video laetissima [10]) quaeque antiquorum imitantem; et vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum nitorem et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum,

---

4) Isti qui e codd. Vatt. Dronk. et Osann. Abest vero isti ab omnibus libris (Farn?); recte in annot. quidem Orell. cancellis inclusit.

5) Farn. et Spir. tui fidi Bassi, unde Acid. Aufidii B., Schurzfl. et cum eo Schulz., Dronk., Osann. T. Auf. B. Sed recte Orell. rejecit praenomen.

6) Farn. secuntur.

7) Farn. infirmitatem sed jejunio consequentur, quod optime Acid. et Schel. lectionem a B. cum Schulz. et aliis receptam confirmat. Orell. Lips. secutus est, qui legit infirmitate et jejunio.

8) „Sic tacite, sed procul dubio e Farnes. (Bekk. tacet) optime Lipsius" ORELL. Groslot. quae a nimia anxiet., Schulz. quae nimia anxiet. Quae sequuntur adjectiva fortem cet. verissimam esse probant illam lect. animi anx.; Vatt. contingit.

9) „Optime sic Lips.; tacite quidem, sed e. Farn. (Bekk. tacet.); novissimi Edd. ex Edd. vett. revocarunt vos ergo" ORELL. Idem viri, quod Acidal. excidisse put., sed cancellis inclusum, post vero inseruit. Equidem omisso vero legerim vos viri, nam adversat. particula per se intelligitur.

10) Farn.? — Orell. cum Rhenano lectissima; laetissima ob seq. nitorem et cultum v. praeferendum.

ea [11]), quotiens [12]) causa poscit, ubertas, ea. quotiens permittitur, brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas [13]) est, sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis, ut etiamsi nostra judicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi [14]) sint posteri nostri.

24. Quae cum Aper dixisset, Agnoscitisne, inquit Maternus, vim et ardorem Apri nostri? Quo torrente, quo impetu saeculum nostrum defendit! quam copiose ac varie vexavit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est per quae mox ipsos incesseret! Tuum tamen, Messalla, promissum immutasse [1]) non debet. Neque enim defensorem antiquorum exigimus, nec quemquam nostrum [2]), quanquam modo laudati sumus, iis quos [3]) insectatus est Aper comparamus. Ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri et a vestris philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contradicendi partes. Igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat), sed causas cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus, cum praesertim centum et

---

11) Minus bene cum vulg. Dronk., Seeb. (ed. alt.) et Osann. et; ea Wopk. et Schulz. ob sermonis concinnitatem.

12) Num ita Farn. pro vulg. quoties? Oberl. et Dronk. quotiens. Vide Lex. Tac.

13) Nihil super h. v. Bekk. de Farn.; habent eam duo Vatt., sed Vat. 1518. plenitas; Lips. conj. sanitas, quod adprob. Ernest.; Seeb. (ed. alt.) Dronk., Osann., Orell. plenitas praetulerunt; planitas recte a Schulzio defenditur. Lips. planitas habet in l. ed.

14) Ita Lips. pro daturi. „Ego, nisi pro certo haberem, dicturi esse e Farn. (Bekk. tacet), proponerem: verum (scil. judicium) de vobis facturi, quum verum (τὸ ἀληθές) dicturi admodum languere videatur.“ ORELL. Mihi non videtur; cf. ep. 18 omnes mihi videntur verum dixisse.

1) Haud dubie ita Lips. e Farn. (Bekk. tacet); alii ita mutasse, ita immutasse, Ernest. mutasse, ut prima syllaba adhaeserit e praeced.

2) Veteres edd. nostrorum. Acid. conj. nostrum recentt. omnes recepere, Orell. et B. tacite.

3) Farn. quos modo.

viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit [4]).

25. Tum Messalla, Sequar praescriptam a te [1]) Materne formam. Neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum, ut opinor, nominis controversiam movit [2]), tanquam parum proprie antiqui vocarentur quos satis constaret ante centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna non est, sive illos antiquos sive majores sive quo alio mavult nomine appellet, dummodo in confesso sit eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis ejus repugno, qua in commune fatetur [3]) plures formas dicendi etiam iisdem saeculis, nedum diversis exstitisse. Sed quomodo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent, omnium autem consensu haec oratorum aetas maxime probatur, sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Coelius et Brutus suo jure [4]) et prioribus et sequen-

---

4) Bene hunc locum a multis vexatum Osann. cum F. A. Wolfio defendit; tantum, quod excidisse putat Ernest., facile subauditur; ratio colligit dicitur ut ratio efficit, vincit, estque nostrum die Berechnung ergiebt.

1) Farn. sequar perscriptam et Materne formam; vulgo a te praescr. f.

2) Edd. vett. non — movit. Lacunam e vetere cod. (Farn. — sed Bekk. tacitus recepit) Lips. explevit.

3) „Corrupta est Lipsii lectio e Cd. Farn. manifesto petita: si comminus fatetur (Bekk. tacet, sed recepit). Edd. vett. habent siquo minus fatetur; unde varia fecerunt, nec tamen quisquam feliciter in conjectando versatus est.“ ORELL. Fortasse minus displicet repugno, qua (quod ob simillimas litt.. quae praeced., excidisse poterat) in commune (vid. Lex. Tac.) fatetur. Cf. ep. 18 si illud ante praedixero et: hoc interim probasse contentus sum cet. et in fine ep. Sed mox ad singulos veniam, nunc mihi cum universis negotium est. Vide etiam ep. 26. in commune, ubi Farn. in omne.

4) Bekk. nihil nisi haec adn.: ..sic jure] lego suo jure; liber tamen scriptus sic vere [vel si vere] LIPS. Pichena hoc quoque recepit

tibus anteponuntur. Nec refert quod inter se specie differant, cum genere consentiant. Adstrictior [5]) Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem sanctitatem [6]) eloquentiae ferunt [7]), ut si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam judicii ac voluntatis similitudinem et cognationem. Nam quod in vicem se obtrectaverunt, et sunt aliqua epistolis eorum inserta ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium sed hominum. Nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue judicium animi sui detexisse. An ille Ciceroni invideret, qui mihi videtur ne Caesari quidem invidisse? Quod ad Servium Galbam et Gaium Laelium attinet, et si quos alios antiquorum agitare non destitit [8]), non exigit [9]) defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum, ut nascenti adhuc nec satis adultae, defuisse.

26. Ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim Hercule Gai Gracchi impetum aut Lucii Crassi maturitatem, quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallio-

---

ERN.“ Venet. ed. sic jure; Schurzfl. secure conj.; bene habet suo jure.

5) Farn. at strictior, unde melius puto adstrictior scribi quam astr., quod Bekk. exhibet. Vide in Lex. Tac. restringere et adductus.

6) Bekk, et Orell. sanitatem. Farn. sanctitatem, et ita ante Rhenanum omnes. Equidem optimam hanc lectionem duco; opp. malignitas et quod invicem se obtrectaverunt cet.

7) Acidal. malebat praeferunt, quod Orell. quoque in Emendatt. defendit. Ernest. contra ferre ap. Tac. nonnunquam pro praeferre dici contendit. Vide Lex. Tac. et quae Acid. affert. Hist. 2, 65 laetitiam — vultu ferens et 4, 85 quos spiritus gessisset vultu ferebat.

8) „Destitit tacite Lips. e Farn. (B. et ipse tacet) pro desistit, quod reduxerunt Brot. et Dronk.“ ORELL. Rauchensteinius vulgatam probat.

9) „Heum. scribit exigo. Sed non opus hac medela; hoc quod adtinet cet., non exigit, non desiderat defensorem.“ SCHULZ. Sane durum exigit; *fortasse exigunt* legendum; librarios in his errare nottissimum.

nis. Adeo melius est oratorem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo Hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant. Quodque vix auditu fas esse debeat [1], laudis et gloriae et ingenii loco plerique jactant cantari saltarique commentarios suos. Unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio [2], ut oratores nostri tenere [3] dicere, histriones diserte saltare dicantur. Equidem non negaverim Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quanquam in magna parte librorum suorum plus vis [4] habeat quam sanguinis. Primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus et studio feriendi plerumque dejectus [5], non pugnat sed rixatur. Ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore

---

1) Muretus et Acid. suadent debebat, quod probat Ernest. Sed non opus est mutatione.

2) „Rhenani est emendatio pro miro errore Edd. priorum: frequens sicut his clam et exclamatio. Hic tamen, ut saepenumero, aegre caremus certa notitia lectionis Cdd.; utrum scilicet confirment Rhenani conj., an corruptelam exhibeant Edd. vett., an denique aliud quid. Scilicet in errore isto aequo fere jure ac quibusdam latere suspicari possis: frequens, sicut scitis, laus et exclamatio.“ ORELL. Jam Farn. a Niebuhrio coll. exhibet corruptiora etiam: sicut bis cta et, propiora tamen Rhenani quam Orellii emendationi.

3) Libri omnes temere; Lips. conjecit tenere, quod etiam in Farn. esse videbatur Niebuhrio.

4) Nihil novi e Farn. attulit Bekk.; sed acquiesci potest in vulgata. Conjecerunt interpp. irae, puris, viri, bilis.

5) Lips. cum Rom. cod. detectus, Farn. devectus et paulo ante studiis. Ernest. veterem lect. sequitur dejectus. Optime habet dejectus i. q. prostratus, in turpissima convicia prolapsus et ita ipse frustratus victoria. Cf. Curt. 3, 5 non in acie saltem, non ab hoste dejectum et Caes. B. G. 1, 8 dejectus spe; nam utraque significatio, et propria et translata in loco nostro conjuncta esse videtur.

urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat; quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit. Ego autem exspectabam ut incusato Asinio et Coelio et Calvo aliud nobis [6]) agmen produceret, plurisque [7]) vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis deinde singulos opponeremus. Nunc detractasse [8]) nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune, veritus [9]), credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset. Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum [10])?

27. At ego non verebor nominare singulos, quo facilius, propositis exemplis, appareat quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.

Appropera, inquit Maternus, et potius exsolve promissum. Neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante dixisti, plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum non iratus [1]), antequam te Aper offenderet majores tuos lacessendo [2]).

---

6) Vett. editt. novum, Lips. e Rom. cod. nobis (Farn?); novum, quod Orell. praetulit, latet jam in aliud. Quod Orell. dicit, novum h. l. idem esse quod adhuc incognitum, non credo.

7) Farn. plerisque, unde optime Bekk. plurisque pro vulg. pluresque.

8) Vulg. detrectasse. Farn. detract. Cf. cp. 11.

9) Farn. in omne veritum. Lips. in comm. veritus.

10) Explic. h. l. Schulz., Osann. et Orell., conjecturasque omnes rejecerunt. Plane i. e. q. prorsus, haud dubie. Cum vi quadam opponuntur sibi ante et post (i. e. statim post). Ita sed defendi potest, cujus particulae causa quidam conjec. ut se non quidem ante vel non numeret. Tamen malim et vel aut, cum sed contortiorem reddat orationem. Fortasse etiam ita defungi possumus, ut levi transpositione legamus: ut ante se Ciceronem numeret, sed plane post (adverb.) Gabinianum, i. e. post se.

1) Haec est Schelii lectio, quam fere omnes recepere. Bekk. eodem modo corruptam Farn. scripturam exhibet quo ap. Lips. (Orell.) invenitur: paullo ante plane mitiore eloquentia et temporum nost. miratus.

2) *Ita Lips. l. (Farn?)* Heum. conj. incessendo, quod etiam cp. 24 et 40 *legatur; recepit Orell. dicens* mortuos lacessi non posse.

Non sum, inquit, offensus Apri nostri [3]) disceptatione; nec vos offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringet [4]). cum sciatis hanc esse ejusmodi sermonum legem, judicium animi citra damnum affectus proferre.

Perge, inquit Maternus, et cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate, a [5]) qua vel magis degeneravimus quam ab eloquentia.

28. Et Messalla, Non reconditas Materne causas requiris, nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas, etiamsi [1]) mihi partes assignatis proferendi in medium quae omnes sentimus. Quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab illa vetere gloria non inopia hominum, sed desidia juventutis et negligentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione moris antiqui? quae mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, jam in provincias manant; quanquam vestra vobis notiora sunt [2]). Ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur [3]), si prius de severitate ac disciplina majorum circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. Jam primum suus cuique filius, ex casta parente natus,

---

3) Vetus cod. (Farn. haud dubie) a prima, unde Lips. Aprina, Gron. Apri nostri, Schurzfl. Apri mei. Optimum puto quod Orell. in annot. dicit, fortasse simpliciter fuisse Apri disp., sed pro disputatione Farn. nunc disceptatione.

4) Farn. perstringit, quod Dronk. et Osann. receperunt. Lips. bene correxit perstringet.

5) a deest Farn., Vatt. et edd. ante Pithoeum.

1) „In scripto (Farn?) est etenim jam si“ LIPS., qui inde etiamsi contraxit; edd. vett., Dronk., Osann. et jam; Orell. suspicatur etenim jam scilicet.

2) Farn. vestra nobis; Vatt. et Alciat. nostra vobis; Rhenan. tacite scripsit nostra nobis; recte Venet., Spir. et Puteol. vestra vobis; respicit enim ad Aprum, natione Gallum, quique in Britannia juventutem egerat. Falso plurimi ita interpungunt: manant. Quamq.....; ego.

3) „Comitantur haud inscitam conjecturam proposuit ipseque rursus rejecit Schurzfleischius, tum Gesner. Sic in eadem orationis figura perseveraret scriptor.“ ORELL. Cumulantur praestat; quovis aetatis gradu augentur, crescunt.

non in cella emptae nutricis sed gremio ac sinu matris educabatur, cujus praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. Eligebatur autem major aliqua natu propinqua, cujus probatis spectatisque moribus omnis ejusdem familiae suboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. Quae disciplina ac severitas eo pertinebat ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura toto statim pectore adriperet [4]) artes honestas, et sive ad rem militarem sive ad juris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret.

29. At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur; nec quisquam in tota domo pensi habet quid coram infante domino aut dicat aut faciat. Quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae parvulos assuefaciunt, sed lasciviae et dicacitati [1]), per quae paulatim impudentia irrepit et sui alienique contemptus. Jam vero propria et peculiaria hujus urbis vitia paene [2]) in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia; quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? quotum quemque inveneris qui domi quicquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando

4) Num ita Farn? Ceteri arriperet.

1) Vetus liber Lipsii bibacitati (Farn.?). Vett. et recentt. plerique libertati; Bipont., Schulz., Oberlin. optime dicacitati. „Sic ap. Quinctil. VI., 3, 41 Siculi dicuntur lascivi et dicaces, ubi lasciviatas quoque de petulantia sermonis sumitur.“ SCHULZ.

2) Bekk. (Farn.?) pene.

auditoria intravimus? Ne praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent: colligunt enim discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum et illecebris adulationis. Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum elaboratur [3]), nec in auctoribus cognoscendis nec in evolvenda antiquitate nec in notitia [4]) vel rerum vel hominum vel temporum satis operae insumitur.

30. Sed expetuntur quos rhetoras vocant; quorum professio quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud majores nostros auctoritatem habuerit, statim dicturus [1]), referam necesse est animum ad eam disciplinam qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana meditatio et in omni genere studiorum assiduae [2]) exercitationes ipsorum etiam continentur libris. Notus est vobis [3]) utique Ciceronis liber qui Brutus inscribitur; in cujus extrema parte (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae

---

3) Ita B. interpungit; melius Dronk., Osann., Orell. elaboratur: nec — insumitur; sed cet.; tum aptius tricesimum caput cum verbis Notus est vobis inchoari crediderim. In ceteris editt. a. v. referam incipit.

4) Vulgo notitiam (Farn.?); Pichena correxit notitia; Dronk., Osann., Orell. illud retinuerunt. Dronk. ita defendit „casus diversi etiam ab aliis scriptoribus copulantur. vid. Interpp. ad Nep. Dat. 3, 1., Oudend. ad Suet. Vesp. 19 p. 857.“ Sed alia horum locor. ratio esse videtur, et nomina tantum, non verba hanc inconcinnitatem admittere credo. Nam quod Bremi ad locum Nepotis e Cic. affert (Off. 1, 28, 6) adhibenda est quaedam reverentia adversus homines, et optimi cujusque et reliquorum, genitivus pendet e reverentia.

1) Vetus liber Lipsii (Farn.; sed Bekk. nihil adnot.) statim de curiis, unde recte haud dubie Gronov. statim dicturus eruit. Etiam quod praecedit quamque - habuerit non amplius sollicitandum est. Nam Farn. exhibet habuerit, unde sponte sequitur quamque pro corrupto quamquam (habuit). Ald. jam quamque.

2) Assiduae accessit e Farn.; male studiorum a Dronk., Osann., Orell. omittitur. Est in omnib. edd., Spir. etiam, quae saepissime cum Farn. consentit.

3) Farn., Vatt. et vett. edd. nobis; Rhen. correxit vobis, optime.

velut quandam educationem refert: se apud Quintum Mucium jus civile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnis [4]) philosophiae partes penitus hausisse; neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achajam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque Hercule in libris Ciceronis deprehendere licet non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius ingenuae artis scientiam ei defuisse. Ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognoverat. Ita enim est, optimi viri, ita [5]). Ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia; neque oratoris vis et facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur, sed is est orator qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit.

31. Hoc sibi illi veteres persuaserant. Ad hoc efficiendum intelligebant opus esse non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent, sed ut iis artibus pectus implerent in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo et injusto disputatur. Haec enim est oratori subjecta ad dicendum materia. Nam in judiciis fere de aequitate, in deliberationibus de honestate disserimus, ita ut plerumque haec ipsa in vicem misceantur; de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et intellectum eorum quae neque in virtutibus neque in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram judicis vel instiget

---

4) Ad partes referendum; Vatt. omnes, quod recentt. fere omnes receperunt. Lips. l. omnis, haud dubie e Farn.

5) Male quidam interpungunt: ita ex.

vel leniat, qui scit quid ira [1]), promptius ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos sive apud cupidos sive apud invidentes sive apud tristes sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit venas [2]) animorum, et prout cujusque natura postulaverit, adhibebit manum et temperabit oratiouem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito. Sunt apud quos adstrictum [3]) et collectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialeticae proficiet. Alios fusa et aequalis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur [4]) a Peripateticis aptos [5]) et in omnem disputationem paratos jam locos. Dabunt Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon jucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes assumere, hisque [6]) prout res poscit [7]) uti, alienum erit oratori. Neque enim sapientem informamus neque Stoicorum civitatem [8]), sed eum

---

1) Farn. irae; haud male Dronk. „fortasse ex corrupta veterum librorum lectione scribi potest ira, ut, quod nobis concinnius videtur.“

2) Ita Farn., Vatt., Spir.; Puteol. habenas quod plurimi receperunt. Bene cum Doederl. (Cic. de Orat. 1, 52) Bekk. et Orell. vulgatam defend.

3) Bekk. astrict. V. cp. 25.

4) „Dronk. mutuabimus e Vatt. 1862. et 1518. item Spir., quum tamen scriptor noster capp. 9. 24. 32 constanter habeat rectam depon. v. formam.“ ORELL. Quid Farn. exhibeat, non indic. Bekk. Lips. I. habet mutuabimur.

5) Farn. apertos. Vulgo (jam in Lips. I.) ita totus locus legitur: mutuabimur aliquid a Peripateticis: hi aptos et...dabunt, Academici cet. Bekk., Seeb. (ed. alt.), Dronk., Osann., Orell. Vatt. 1862. et 1518. secuti ea receperunt quae supra leguntur. Equidem apertos praefero, at sic legendum suaserim: mutuabimur aliquid. Et Peripatetici quidem apertos — dabunt, Acad. cet.

6) Num ita Farn? Orell. iisque; ceteri, ni fallor, omnes hisque.

7) Brot. poscet, sed sine librer. auct. (Farn?).

8) Bene Orell. „leg. videtur: n. e. sapientem informamus Stoicorum, neque Platonis civitatem. Continuatur imitatio Cic. de Orat. 1, §. 224. (cp. 52).“

qui quasdam artes haurire, omnes libare debet [9]) ideoque et juris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant, et grammatica, musica, geometria imbuebantur. Incidunt enim causae plurimae quidem ac paene omnes quibus juris notitia desideratur, pleraeque autem in quibus hae quoque scientiae requiruntur [10]).

32. Nec quisquam respondeat sufficere ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur. Primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis; longeque interesse manifestum est, possideat quis quae profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi minime credas, eminet et excellit. Idque non doctus modo et prudens auditor sed etiam populus intelligit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse, ut denique oratorem esse fateatur; quem non posse aliter exsistere nec exstitisse unquam confirmo, nisi eum qui tanquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. Quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum vis quoque [1]) quotidiani sermonis, foeda ac pudenda vitia deprehendantur; ut ignorent leges, non teneant senatus consulta, jus civitatis ultro derideant, sapientiae vero studium et praecepta

---

9) Locus hic vexatissimus et in omnib. libris corruptus (qui non quasdam artes haurire, sed omnes liberaliter debet) e Farn. cod. egregie prorsus a Bekkero restituitur in integrum. „Farn. qui quasdam artes audire omnes liberaliter debet, unde facias, praeeunte aliquatenus Acidalio, qui quasdam artes haurire, omnes libare debet.“ BEKK. Similis Orellii conj., qui tamen non et sed retinet: qui non q. a. haur., sed omnes libare deb. Ceterum Bekk. vulg. corruptelam in textu retinuit.

10) Ita Rhenan. correxit. Spir. plerique; Farn. plerumque; cetera in vulgatis ita exarantur: haec quoque scientia requiritur. — Scientiae, ubi idem est quod cognitiones optimae est latinitatis.

1) Bekk. et Orell. hanc Vatt. et Spir. retinuerunt lectionem; Rhenanus conj. fex, quod plurimis placuit; Put. Riv. vix. Eximia mihi videtur Orellii conjectura ubique in vis quoque latere putantis. „Ex UBIQUE facile nasci potuit UISQUOQUE, quum que et quoque saepissime confundantur.“

prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo, ut quae olim omnium artium domina [2]) pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur. Ergo hanc primam et praecipuam causam arbitror cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem, quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriae proditum est. Et Cicero his, ut opinor, verbis [3]), quicquid in eloquentia effecerit, id se non [4]) rhetorum sed Academiae spatiis consecutum. Sunt aliae causae, magnae et graves, quas a [5]) vobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego jam meum munus explevi et, quod mihi [6]) in consuetudine est, satis multos offendi; quos [7]) si forte haec audierint [8]), certum habeo dicturos me, dum juris et philosophiae scientiam tanquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.

---

2) Ita Puteolan. ex corrupta Spir. lectione dicut. Eum omnes secuti sunt. Bekk. nihil de Farn. affert. Orell. in dicut aeque latere posse ait princeps et dux ac Puteolani domina.

3) Omisso refert ante verbis (Farn.?). „Inseruerunt e Vatt. Brot., Oberl., Dronk. et Osann. Abest ab Edd. vett. et Lips. Facile autem excidit inter literas r ver. Wolfio tamen non videbatur necessarium; eodemque omisso Schulzius cum Mureto ait se pro id se; Rauchensteinio placebat: id se ait om. scil. refert.“ Orell., qui ipse retinuit refert.

4) Acidal. scribi vult non in rhetorum. Utrumque verum esse posse Orell. adnotatione probatur. Melius in omittitur.

5) a deest Farn., Vatt. et editt. vett.; Rhenan. hanc praepositionem inseruit; recte, nam (quod modo ipse scripturus sum, jam Orell. notasse video) omissio praep. h. l. nimis ambigua esset.

6) „Mihi a Lipsio tacite e Farn. (?) assumptum, novissimi editores rursus sustulerunt. Excidit scil. solitum Cdd. compendium m ante in.“ Orell.

7) Farn. quod; item Spir.; inde Puteol. (et Bekk.) qui, Pithoeus quos, quod propius abest a codd. scriptura, quodque jure praetulit Orell. cum Osann. et Dronk.

8) Ita in margine Lips. pro vulg. audirent.

33. Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum a te munus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse [1]) tantum et velut vestigia ac lineamenta quaeda mostendisse videaris. Nam quibus instrui veteres oratores soliti sint [2]) dixisti, differentiamque nostrae desidiae et inscientiae adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti: cetera exspecto, ut quemadmodum ex te didici quid aut illi scierint [3]) aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus juvenes jam forum ingressuri [4]) confirmare et alere ingenia sua soliti sint. Neque enim dum [5]) arte et scientia sed longe magis facultate eloquentiam [6]) contineri nec tu, puto, abnues, et hi significare vultu videntur.

Deinde cum Aper quoque et Secundus idem adnuissent [7]), Messalla quasi rursus incipiens, Quoniam initia et semina veteris eloquentiae satis demonstrasse videor, docendo quibus artibus antiqui oratores institui erudirique soliti sint, persequar nunc exercitationes eorum. Quanquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut [8]) tam varias res potest, nisi ut [9]) scientiae meditatio, meditationi facul-

1) Ita Spir. et Ald.; Osann. cum Dronk. ex edd. vett. nonnullis incohasse. Vide de h. scriptura Schulz., Dronk. et Orell. annot.

2) Ita Rhen. recte pro sunt; Dronk. et Osann. ex vett. edd. revoc. sunt.

3) Vulgo scirent, quod etiam Schulz., Oberl., Dronk., Osann. retinuerunt. Schurzfl. correxit scierint; recte. Cf. cp. 32, 8. Farn. habet quod pro quid.

4) Vulgo: juvenes jam, et forum ingressi; copulam delevit Schulz.; Vatt. exhib. ingressuri; Ernest. maluerit transponi juvenes et jam f.; Orell. leg. juvenes jam et forum ingressuri; minus bene quam omisso et.

5) Ita Farn. et quae crebro cum eo consentit ed. Spir. A ceteris abest dum.

6) Farn. facultate et eloquentia, unde Rhen. facultate eloquentiam; alii inseruerunt alia; Tyrwhittus f. et usu eloquentiam. Et sane opus est additamento. Bene Rauchenstein. defendit Tyrwh. conj., in quam et ipse inciderat.

7) Plurimi annuissent; Schulz. adn. (Farn?).

8) Aut deest Farn.; Spir. tot aut reconditas tam varias. Bene Heum. ac tam.

9) Acid. ut expunxit; Huet. conj. et, Osann. simul, Orell. ubi. Fortasse legendum: nisi ut scientiae meditatio, ita med.

tas, facultati vis [10]) eloquentiae accedat. Per quae colligitur eandem esse rationem et percipiendi quae proferas, et proferendi quae perceperis. Sed si cui obscuriora haec videntur isque scientiam ab exercitatione separat, illud certe concedet, instructum et plenum his artibus animum longe paratiorem ad eas exercitationes venturum quae propriae oratorum [11]) videntur.

34. Ergo apud majores nostros juvenis ille qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem qui principem in civitate locum obtinebat. Hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis sive in concionibus, assuescebat, ita ut altercationes quoque exciperet et jurgiis interesset, utque sic dixerim, pugnare in praelio disceret [1]). Magnus ex hoc usus, multum constantiae, plurimum judicii juvenibus statim contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et judex respuat et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur; et quanquam unum sequerentur, tamen omnes ejusdem aetatis patronos in plurimis et causis et judiciis cognoscebant [2]); habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent quid in quoque vel

---

10) Acid. usus, non male; saepe a librariis hae voces confunduntur. Quod sequitur exercitatio valde commendat Acid. conjecturam.

11) Farn. proprie et oratorum, quod optime suffragatur Rud. Agric. conjecturae propriae esse oratorum; sed bene etiam omittitur esse.

1) „Codices excipere et interesse" BEKK. Quo magis adsentior Orellio, Bekkeri illam conjecturam exciperet — interesset ideo vituperanti, quod tum esse deberet utque, ut sic dixerim. Eximia Orellii conj. jurgiis se inserere (inserere se Tac. etiam Hist. 2, 19 et, praeter hunc locum ab Orell. laudatum, ibidem cp. 61. et in Dial. 10 nomen inserere famae) quod respondeat verbis excipere et pugnare. Atque vix sane ferri potest duplex istud interesse.

2) Ita melius interpungitur quam simplici commate, nam habebantque hoc loco idem fere est quod habebant praeterea s. etiam. Cf. Ann. 14, 28 auxitque patrum honorem statuendo et cetera exempla quae in Lex. Tac. sub v. et congessimus.

probaretur vel displiceret. Ita nec praeceptor deerat, optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret; nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus [3]) dimicantes: sed [4]) auditorium semper novum, semper plenum, ex invidis et faventibus, ut nec breviter dicta [5]) dissimularentur. Scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari quam suis; inde quin immo constantius surgere, ibi fidelius corroborari. Atque Hercule sub ejusmodi praeceptoribus juvenis ille de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator judiciorum, eruditus et assuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notae leges, non novi judicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, saepe cognitae populi aures, sive accusationem susceperat sive defensionem, solus statim et unus cuicunque [6]) causae par erat. Nonodecimo aetatis anno Lucius Crassus Gajum Carbonem, unoetvicesimo [7]) Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio Gajum Catonem [8]), non multo aetate [9]) antecedens Calvus Vatinium iis oratonibus insecuti sunt quas hodieque [10]) cum admiratione legimus.

---

3) Vulgo sudibus, Lips. rudibus; illud Doederl. in Synon. 3. pag. 266 defendit; item Schurzfl. et Seebod. in edit. alt.

4) „Cum Schelio Schulz.: et auditorium. Rauchenstein: ad a. i. e „apud.“ — Fortasse sed omnino delendum, utpote ortum e geminatione inter es aud.“ ORELL. Deesse non potest particula. Optimum esset atque, si codd. addicerent.

5) „Rodolphus auctius nec male nec bene, sententia quidem valde favente.“ LIPS. Farn. non bene, sed breviter, quod optimum duco; tam intentae erant in omnia diversae partes ut ne breviter quidem dicta injudicata relinquerentur. Bekk. bene retinuit. De nec particula pro ne — quidem vide Lex. Tacit.

6) „Ita vetus (Farn., de quo tamen nihil Bekk.) non male etiam vulgo statim unicuique.“ LIPS. Orell. bene veterem lect. defendit. Cf. cp. 5. ipsum solum apud vos arguam; Germ. 38 capillum — in ipso solo vertice ligant (ἐν αὐτῷ μόνῳ).

7) Dronk. et Orell. cum Spir., Put., Ber., Alc., Rhen., Lips. uno et vigesimo.

8) Abest praenomen ab editt. prioribus; Lips. addidit, Bekk. (Farn?) Cajum mutavit in Gajum.

9) Ita Rhenan. pro antiqua lect. aetatem.

10) „*Scribendum sane* erat cum Ber., Alciato et Rhen. hodieque, vel *si*

35. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas [1]) scholasticorum, qui rhetores vocantur; quos paulo ante Ciceronis tempora exstitisse nec placuisse majoribus nostris ex eo manifestum est, quod Lucio Crasso [2]) et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae jussi sunt. Sed ut dicere institueram, deducuntur in scholas, in quibus [3]) non facile dixerim utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam in loco nihil reverentiae, sed [4]) in quem nemo nisi aeque imperitus [5]) intrat; in condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros et adolescentuli inter adolescentulos pari securitate et dicant et audiantur; ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras [6]) tractantur, suasoriae et controversiae. Ex iis suasoriae quidem, tanquam [7]) plane

---

mavis, cum Dronkio hodie quoque e Vat. 1862. (igitur ceteri duo videntur illud ipsum (hodieque) habere); non hodie cum Edd. vett., etiam Riv. et Osanno.“ ORELL. Vide Lex. Tacit.

1) Farn. se in; Spir., Put., Ber., Alc. scena; Rhen. scenas; Lips. divinabat scholas, sed jure repudiavit postea. Nihil certius quam scenas genuinum esse.

2) Edd. vett. M. Crasso, Pith. L. Crasso, alii, ut Schurzfl., Heum., Dronk., Osann., Orell. praenomen omittunt, cum etiam in Domitio nullum sit. Ceterum L. Crassum, non Marcum dicit.

3) in ante quibus deest Farn. et edd. vett., omisit et Osann., Orell. toleravit litteris inclinatis. Licet saepe Tacitus omittat praepp. (vide Lex. Tac.) hoc tamen loco vix omitti potuit.

4) Nihil opus mutatione in est vel et vel scilicet; neque vero etiam delenda est particula. Elliptice dictum est pro: sed caret ea omnino, cum in eum nemo — intret.

5) Ita Vatt., Brot., Ern., recentt.; Orell. cum Seeb. (ed. alt.) revocavit vett. editt. ordinem imperitus aeque, cum saepe ita aeque postponatur.

6) Ita Lips. I. (Farn?), et quos Dronk. laudavit, alii rhetores; Dronk., Osann., Orell. rhetoras.

7) Farn. suasoriae quidem etsi tanquam. Multi etsi deleverunt, quidam uncis incluserunt; Orellio corruptum videtur ex sic. Sed exemplorum, quae affert, alia ratio esse videtur. Pithoeus post etsi asteriscum posuit, idque eum jure fecisse credo; nam ut controversiae in sequentibus vituperantur, ita etiam de suasoriis simile quid injectum fuisse non abhorret a vero. Cui sententiae favet quod sequitur plane i. e. utique, doch wenigstens, doch auf jeden Fall.

leviores et minus prudentiae exigentes, pueris delegantur; controversiae robustioribus assiguantur, quales, per fidem [8]), et quam incredibiliter compositae! Sequitur autem ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur [9]). Sic fit ut tyrannicidarum praemia aut vitiatarum electiones [10]) aut pestilentiae remedia aut incesta matrum, aut quicquid in schola quotidie agitur, in foro vel raro vel nunquam, ingentibus verbis persequantur [11]): cum ad veros judices ventum est

multa desunt [12])

rem cogitare, nihil humile, nihil abjectum eloqui poterat.

36. Magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. Eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt quae composita et quieta et beata re publica tribui fas erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura [1]) sibi assequi videbantur, cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc leges assiduae et populare nomen, hinc conciones magistratuum paene pernoctantium in rostris, hinc accusatio-

---

8) „Ita vetus. Vulgati quales perfidiae. Forte per Fidium.“ LIPS. ap. Orell.; Bekk. de Farn. scriptura nihil affirmavit. Orell. bene defendit per fidem. Cf. Lex. Tac. s. v. per.

9) Nihil opus additamento, ut quidam conjecerunt: par, similis, talis, vana adhib. Cum vi quadam declamatio h. l. dicitur et explicatur sequentibus: sic fit ut — ingentibus verbis pers.

10) Lips. conj. ejectiones, sed postea retractavit. „Respicit ad legem scholasticam, quae raptarum dicitur, rapta raptoris mortem vel nuptias optet, ut Pithoeus jam observavit.“ ERN.

11) Farn. prosequuntur; Spir. persequuntur. Fortasse prosequantur praestat, licet e vulgari usu dicatur verbis aliquid persequi, rarius verbis aliquid prosequi, sensu etiam immutato.

12) In Farn. adscriptum „multum deficit in exemplaribus quae reperiuntur,“ in margine Vat. 1518. „hic desunt sex pagellae.“ Vide quae super hoc defectu disp. U. Beckerus et Doederl. in Orell. ed.

1) Vatt. pleraque; sed Orell. jure praetulit plura, ut in praecedentibus ista pro illa, imbui pro tribui, pervexit pro provexit merito rejecit (cum plurimis recentt.) In his omnibus Bekk. nihil de Farn. memoravit, nec opus erat.

nes potentium reorum et assignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones et assidua senatus adversus plebem certamina. Quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare praemiis videbantur [2]), quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant; hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi [3]) colebant; hos et praeturae et consulatus vocare ultro videbantur; hi ne privati quidem sine potestate erant, cum et populum et senatum consilio et auctoritate regerent. Quin immo sibi ipsi persuaserant neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. Nec mirum, cum etiam inviti ad populum producerentur; cum parum esset in senatu breviter censere, nisi quis ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur; cum in aliquam invidiam aut crimen vocati sua voce respondendum haberent; cum testimonia quoque in judiciis [4]) non absentes nec per tabellam dare,

---

2) Sc. eloquentiam. Quod cur minus concinnum videatur Orellio non perspicio. Eloquentia h. l. eos designat, qui eloquentia valebant. Non igitur opus mutatione τοῦ cumulare in cumulari.

3) „Sic egregie e Farn. (Bekk. tacet) Lipsius (cfr. ejus Praefat.). Male Osann. reduxit antiquam corruptelam reversuri natam per ἀ/βλεψίαν e praecod. ituri.“ ORELL.

4) „Vulgo in publicis non absentes. Rud. Agric. supplet in publicis judiciis, quae insitio Lipsio valde apta videbatur. Ernestio sufficerit scribere in judiciis, omisso τῷ publicis, sicuti Heum. jam ediderat. Nobis adrisit Bipont. editoris conjectura in publicis caussis: compendio nempe scripturae non inusitato scriptum videtur cis pro caussis, unde absorpta fortasse est vocula ab ultima syllaba vocis praecedentis.“ SCHULZ. Seeb. (ed. alt.), Dronk., Osann., Orell. in publicis legunt cum lacunae signo. Ego Heumanno, Ernestio, Oberl. et Bekkero adsentior; otiosum sane, immo molestum publicis. Hoc quidem loco utrum publica an privata fuerint judicia nihil refert. Praeterea haud dissimilis est utriusque vocis (publicis et judiciis) scriptura.

sed coram et praesentes dicere cogerentur. Ita ad summa eloquentiae praemia magna etiam necessitas accedebat [5]; et quomodo disertum haberi pulchrum et gloriosum, sic [6] contra mutum et elinguem videri deforme habebatur.

37. Ergo non minus [1] rubore quam praemiis stimulabantur, ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur; ne traditae a majoribus necessitudines ad alios transirent; ne tanquam inertes et non suffecturi honoribus aut non impetrarent aut impetratos male tuerentur. Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime [2] a Muciano contrahuntur, ac jam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composita et edita sunt. Ex iis intelligi potest Gnaeum Pompejum et Marcum Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse; Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum. His accedebat splendor reorum [3] et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant. Nam mul-

5) Magna et accedebat omittit Farn.

6) Eximiae prorsus Acid. et Schurzfl. conjecturae quomodo — sic pro corruptissimis commoda — sed.

1) „Sic Lips. tacite, sed e Farn.“ ORELL. Nihil prorsus dubito, licet etiam Bekk. taceat. Pessime Osann. mutilam Spir. lectionem minus revocavit pro non minus.

2) Male nunc maxime vulgo, etiam in ed. alt. Seebodii. Vide Orell. ad h. l. et Lex. Tacit.

3) Orell. cum Schulzio vulgatam lect. rerum servavit et his verbis defendit: „hoc loco puto sermonem esse potius de rebus universe, quae tractabantur libera republica, ut mox recurrit amplitudo rerum; nec recte aliquis loqueretur de splendore Catilinae, Verris atque ejusmodi reorum.“ Sed reorum genuinam lect. puto; est enim in Vatt. codd., et vix crediderim librarium longe faciliorem vocem rerum in reorum mutaturum fuisse; tum idem fere esset splendor rerum et magn. causarum; denique auctor ipse postquam de rerum i. e. causarum amplitudine locutus est, reos haud sane ignobiles, non modo Catil. et Verrem, sed *Milonem etiam* et Antonium oratoris famam auxisse dicit.

tum interest utrumne de furto aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, de expilatis sociis et civibus trucidatis. Quae mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus in quo nihil tale patimur, ita cum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest nisi qui causam parem invenit. Non opinor Demosthenem orationes illustrant quas adversus tutores suos composuit; nec Ciceronem magnum oratorem Publius Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt. Non quia tanti fuit rei publicae malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed ut subinde admoneo, quaestionis meminerimus, sciamusque nos de ea re loqui quae facilius turbidis et inquietis temporibus exstitit. Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace quam bello vexari? plures tamen bonos praeliatores bella quam pax ferunt. Similis eloquentiae condicio. Nam quo saepius steterit tanquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quo major adversarius et acriores pugnas sibi ipsa desumpserit [4]), tanto altior et excelsior et illis nobilitata [5]) discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est ut secura nolint [6]).

---

4) Farn. eo acrior per pugnas sibi ipsas, unde varia interpp. commenta exorta sunt, e. g. et quo acrior quicum pugnas sibi asperas desumpserit Schulz.; et acrior, qui pugnas sibi asperas desumpserit Seeb. ed. alt. Ad Bekkeri emendat. proxime Orell. accedit, qui legendum suadet: quanto major adversarius est, et acriores pugnas sibi ipsa desumpserit. Ego Bekkerum sequor, sed in praecedentibus quo majores adversarios conjicio.

5) Non nobilitatus; nam nihil certius, quam haec ad eloquentiam i. e. oratores spectare, minime vero ipsam oratoris vocem intelligendam esse. Ex lect. veteris libri NOBILITATUSCRIMINIBUS optime restituitur nobilitata discrim. Alii nobilitatus certaminibus vel nobilitatus diserim. (ita Dronk. et Orell.). Jam Heum. dedit nobilitata diserim.

6) Bekk. velint. „Clausula addita Rodolphus: ut dubia laudent, secura nolint. Quod qui neget aptum ad sensum esse, ipse sine sensu

38. Transeo ad formam et consuetudinem veterum judiciorum; quae etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam [1]) tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur, et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus haec tertio consulatu Gnaeus Pompejus astrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur; apud quos quanto majora negotia olim exerceri solita sint [2]), quod majus argumentum est quam quod causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis neque Caesaris neque Bruti neque Coelii neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum

---

LIPS. Haec est in Bekkeri nuperrima editione annotatio, nec quidquam de Farn. addit. Vatt. quidem, Spir., Put., Ber., Alc. ut secura velint exhibent; sed qui quam saepe in codd. velle et nolle confundantur reputaverit, is Rhenani emend. nolint optimam habebit, quam Schulz. quoque, Oberl. et Seeb. in ed. alt. receperunt. Supplemento prorsus carere potest hic locus, etiam Acidalii, qui in ceteris cum Rodolpho consentiens conjecit malint. Ceterum illud secura nolint non ad propria hominum negotia, sed ad aliena et ad rumores de his pervulgatos pertinere, per se patet. Secura igitur hoc loco ad forensia illa certamina spectat, in quibus homines discrimina et contentiones quietae judiciorum conditioni praeferunt.

1) Vide innumeras interpp. conjecturas in edit. Schulz. et Dronk. In vetustis libris est et si nunc aptior est, ita erit eloquentia; Farn. erit omittit, unde dubia reddi videtur Agricolae emendatio veritati pro ita erit legentis; sed recte haud dubie eloquentiam tamen restituit, praesertim cum tamen etiam in Vatt. sit pro corrupto tantum vel tanto; neque etiam illud veritati improbo, immo hanc vel similem vocem (minime vero civitati cum Bipont.) et a praecedente aptior et a sequentibus eloquentiam tamen, quae oppositum desiderant, flagitari contendo.

2) Edd. vett. (etiam Lips. I.) at inter recentt. Dronk. et Osann. sunt; recte Acid. correxit.

quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et maximi principis disciplina ipsam quoque eloquentiam, sicut omnia alia, pacaverat.

39. Parvum et ridiculum fortasse videbitur [1]) quod dicturus sum: dicam tamen, vel ideo ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiae attulisse paenulas istas, quibus astricti et velut inclusi cum judicibus fabulamur? quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia credimus, in quibus jam fere plurimae causae explicantur? Nam quomodo nobiles equos cursus et spatia probant, sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur, quia saepe interrogat judex causam quando incipias, et ex interrogatione ejus incipiendum est. Frequenter probationibus et testibus silentium patrono [2]) indicitur. Unus inter haec dicenti aut alter assistit, et res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro; qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent, cum clientelae quoque ac tribus et municipiorum etiam legationes ac pars Italiae periclitantibus assisteret [3]), cum in plerisque judiciis crederet populus Romanus sua interesse quid judicaretur. Satis constat Gajum Cornelium et Marcum Scaurum et Titum Milonem et Lucium Bestiam et Publium Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis popnli studia excitare et

---

1) Olim, et nunc in edit. Seebod. altera et Osann. videtur; cum Ursino ceteri omnes, ni fallor, videbitur. Lips. I. videtur.

2) Bekk. patronus indicit, et ita Lips. I. et veteres omnes. Schulz. cum Schultingio patrono indicitur; Galli quidam interpp. patrono aut patronis indicit; hoc Seeb. in ed. alt., Osann., Orell. receperunt. Equidem maxime probo Schultingii emendationem. Vide Schulzii annotat. Bekk. nihil ad expediendum h. l. attulit. Patronus vix ferri potest, nam h. l. idem est quod orator, cui ipsi silentium indicitur, et de industria horum temporum oratores patroni tantum dicti esse videntur. Ceterum indicitur facile in indicit corrumpi potuit ob sequentes litteras.

3) Bekkero auctore hic assist. est in Farn.; Vatt. adsist.

incendere potuerint. Itaque Hercule ejusmodi libri exstant, ut ipsi quoque qui egerunt non aliis magis orationibus censeantur.

40. Jam vero conciones assiduae et datum jus potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a Publio quidem Scipione aut Sulla aut Gnaeo Pompejo abstinerent, et ad incessendos principes viros, ut est natura invidiae, populi quoque adrectioribus auribus uterentur [1]), quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant!**** [2]) non de otiosa et quieta re loquimur, et quae probitate et modestia gaudeat: sed est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant [3]), comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute [4]), contumax,

---

1) Vulgo populi quoque et histriones [et histriones etiam in Farn. esse Bekk. adnot.] auribus uterentur, quae quam absurdis haud raro conjecturis tentata sint vide in Schulz. edit. Orell. satis scite conj. plerique et histrionalibus artibus uterentur, sed praestat haud dubie Heumanni conject., a Schulzio quoque, Oberl., Seebod. ed. pr. recepta populi quoque adrectioribus auribus uterentur. Ita omnia optime cohaerent et explicantur verba ut est natura invidiae. Nam ea ipsa invidia adrectiores reddit populi aures, haec autem populi studia, non histrionales artes, faces istas oratoribus admovebant. Bene Rauchensteinius fortasse interpretamenti causa ut histriones additum esse ab aliquo dicit, unde postea hoc irrepserit. Ceterum quod suadet faventioribus, minus placet quam adrectioribus.

2) Hic quoque lacunam esse primus Heumannus vidit et nuper U. Beckerus exposuit in epistola ad Seebod. quam exprimendam curavit in sua Dialogi editione Orellius. Eorum sententiam secuti sunt nuperrimi editores Osann., Orellius et Bekkerus. Contra disputaverunt Schulz. et Dronkius, sed argumentis minus idoneis. Ea quae jam sequuntur ad Materni orationem pertinere ex initio cp. 42. patet. Inde a medio cp. 33. usque ad finem cp. 35. Messalla loquitur. Sequentia inde a cp. 36. usque ad nostrum locum Secundo adscribenda esse, non Materno, probatur cp. 16., ubi Messallae ut ceteri sermonem suum adjuvent postulanti Maternus respondet: et ego et Secundus exsequemur eas partes, quas intellexerimus te non tam omisisse, quam nobis reliquisse. Non multa tamen hoc loco excidisse bene et ipse Beckerus ostendit.

3) Heumann. vocant; idem cum Acid. fomes pro comes.

4) Defendit h. v. Orell., Rauchenstein securitate legend. suadet, quod *jure* repudiat Orell. et sanitate conj., siquid omnino mutandum sit.

temeraria, adrogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina et severissimae leges traduntur. Nec [5]) Macedonum quidem ac Persarum, aut ullius gentis quae certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, plurimi Athenienses oratores exstiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia (ut sic dixerim) omnes poterant. Nostra quoque civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit, donec nulla fuit iu foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in judiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus [6]), tulit sine dubio valentiorem eloquentiam, sicut indomitus ager habet quasdam herbas laetiores. Sed nec tanti [7]) rei publicae Gracchorum eloquentia fuit ut pateretur et leges, nec bene [8]) famam eloquentiae Cicero tali exitu pensavit.

Pithoeus severitate scripsit. Heum. sine servitute tanquam glossam prorsus ejecit. Ego malim sine sanctitate. Nam servitute ferri h. l. non posse facile concedo Rauchensteinio. Nihil mihi probare videntur loci a Schulzio, Dronk. et Orell. (in Emend.) allati. Atque abundaret etiam cum obsequio conjunctum.

5) Ita vett. editt. et Orell.; Bekk. cum Ernest. ne scripsit. Vide in Lex. Tacit. exempla.

6) Orell. in adnot. suadet metus. Nihil mutandum duco, dummodo recte intelligatur genitivus magistratuum; est enim: donec magistratus modum adhibere nen potuerunt oratorum certaminibus. Male Ricklefs: Beschränkung der Beamten, et ita cum Schulzio Orellius quoque in Addendis p. LXX. interpretatur.

7) Farn. tuta, quod etiam Vatt. exhibent. Egregie Rhen. emend. tanti. Cf. cp. 37 non quia tanti fuit reipubl.

8) Ita Farn., non bonae, quod Orell. quoque e Vatt. et vett. edd. retinuit, qui tamen recte, si bene legeretur, quod minus probat, ita sententiam scriptoris explicari posse dicit: „nec bene factum est (= sane vehementer dolendum est), quod Cicero famam eloquentiae tam funesto exitu pensavit, s. redemit.“ Contra bonae famam eloq. collocatio verborum pugnat, et languet bonae. Neque etiam oppositionem exprimere voluit auctor, ut Orell. ait, inter Graecchorum pravam, Ciceronis bonam eloquentiam. Prorsus alienum est ab hoc loco quod quidam inter recentt. etiam e codd. et edd. vett. praetulerunt formam; nam hic de sola fama,

41. Sic quoque [1]), quod superest antiqui oratoribus, forum non emendatae nec usque [2]) ad votum compositae civitatis argumentum est. Quis enim nos advocat nisi aut nocens aut miser? quod municipium in clientelam [3]) nostram venit nisi quod aut vicinus populus aut domestica discordia agitat? quam provinciam tuemur nisi spoliatam vexatamque? Atqui melius fuisset non queri quam vindicari [4]). Quodsi inveniretur aliqua civitas in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator sicut inter sanos medicus. Quomodo tamen minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in iis gentibus quae firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur, sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis, cum optimi [5]) cito consentiant? quid multis apud populum concionibus, cum de re publica non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus? quid voluntariis accusationibus, cum tam raro et tam parce peccetur? quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? Credite, optimi et in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus saeculis aut isti quos miramur his nati essent, ac deus aliquis vitas vestras ac tempora repente mutasset, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia neque illis modus et temperamentum defuisset. Nunc, quoniam

---

non de forma eloquentiae agitur; cf. ep. 41.; famam Mureto debetur.; tali, qualis sc. notus est omnibus, tam tristi.

1) Unus in hoc loco offendit Heum., qui hoc quoque legendum censuerit. Ego temporis maxime accuratiorem significationem desidero et vocem, ad quam recte et legibus latinitatis congruenter referri possit quoque; conjicio igitur nunc quoque. Sic quoque esset: auch so, minime, quod solum huic loco aptum esset, so auch. — antiqui Gron. pro vulg. antiquis.

2) Vulg. usquam, Lips. usque, Acid. usquequaque, quod Orell. praetulit.

3) Ita Pith. emend.; vulgo civitatem.

4) Vulgo judicari; illa Lipsii est emendatio.

5) Ita Rhenan.; vulg. optima; Lips. in poster. edd. optimis.

nemo eodem tempore assequi potest magnam famam et magnam quietem, bono saeculi sui quisque citra obtrectationem alterius utatur [6]).

42. Finierat Maternus. Tum [1]) Messalla, Erant quibus contradicerem, erant de [2]) quibus plura dici vellem, nisi jam dies esset exactus. Fiet, inquit Maternus, postea arbitratu tuo, et si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de his [3]) rursus conferemus. Ac simul assurgens et Aprum complexus, Ego, inquit, te poetis, Messalla antiquariis [4]) criminabimur. At ego vos rhetoribus et scholasticis, inquit.

Cum adrisissent, discessimus.

---

6) In Farn. hic vacuum spatium, et Lipsius „a fine inquit libelli, ut cuivis videre est, multa desunt, atque adeo praecipua dissertationis pars;“ sed recte Schulzius nihil prorsus deesse contendit.

1) Farn. cum.

2) Hanc particulam Rhen. addidit. Orell. defendit antiq. lectionem erant quibus plura, sed pro dici conj. adjici; ingeniosum haud dubie commentum; sed opposita esse videntur contradicere et plura dicere, et excidisse de non minus facile poterat quam aliis hujus libelli locis praepositt. omissas esse vidimus.

3) Hoc quidem loco Orell. temere iis pro his scripsisse videtur.

4) Farn., Vatt., Spir. cum antiq.; Puteol. praepos. delevit. Num autem erat?

Corrige pag. 17 med. volucre pro vulucre.

Berolini, Typis Brüschckianis.